

DE PLENITVDINE  
ET CACOCHEMIA LIBER,  
qui præambulus est, ad librum de Va-  
cuandi ratione.

¶ LIBER item de vacuandi ratione, in quo pene omnia quæ ad præcipuam  
artis medicæ partem factiuam attinent, continentur.

¶ PETRO DE PERAMATO, PROTOMEDICO  
serenissimi ac excellentissimi Domini Alfonsi Perez de Guzman el  
bueno, Ducis de Medina Sydonia, Autore, & Dicatore.



¶ EXCVDEBAT FERDINANDVS DIAZ,  
Typographus Hispalensis. Anno domini. 1576.  
San Lucar à Barrameda.  
¶ Cum priuilegio Cæsareæ Magestatis, ad sexennium.

DE PLENITVDINE  
ET CACOCHEMIA LIBER,  
qui præambulus est, ad librum de Va-  
cuandi ratione.

¶ LIBER item de vacuandi ratione, in quo pene omnia quæ ad præcipuam  
artis medicæ partem factiuam attinent, continentur.

¶ PETRO DE PERAMATO, PROTOMEDICO  
serenissimi ac excellentissimi Domini Alfonso Perez de Guzman el  
bueno, Ducis de Medina Sydonia, Autore, & Dicatore.



¶ EXCVDEBAT FERDINANDVS DIAZ,  
Typographus Hispalensis. Anno domini. 1576.  
San Lucar à Barrameda.  
¶ Cum privilegio Cæsareæ Magestatis, ad sexennium.

Illustrissimo ac excellentissimo Principi, dño Illesonso Pe-  
rez de Guzmã el bueno, Duci de Medina Sydonia, Comiti de Niebla, Mar-  
chioni de Caçaca, dignissimoq; Cætariarũ domino.  
Petrus de Permato. S. P. D.




**D**ilectissimi (serenissime princeps) cui labores nostros nũcuparẽ:  
atq; per diuersos heroës, ac magnates fluctuãs, nunc huic, nunc illi  
animũ applicui meũ. At cũ per epistolas, dicaturam nostram ipsis  
volui significare, noster semper genius restitit: quòd ex tãtis, ne-  
minẽ repererim, qui ea quæ optimum principem decent, cumulatẽ  
exprimeret. Dum generis in hoc nobilitatẽ specto, propria animi  
ornamenta desidero: nã quæ nos nõ fecimus ipsi, vix ea nostra voco. Ad aliũ atq; aliũ  
diuerto, qui vt vna, aut altera virtute splendent, sic multis alijs deficiunt: quas mini-  
mẽ ingenuis hominibus deesse par foret. Tu solus ex omnibus quos noui (absit adula-  
tio) maiorum tuorũ nitissimo splendori (in quo vel oculatissimus quisq; caligat) verã  
adiecisti pietatẽ, Christianæ religionis obseruantiam, & omnium virtutum cumulum:  
quæ propria tua sunt, & verè regia ornamenta, digna vt in cælum vnde effluxere  
euebantur, & ab omnibus memoriæ, ac literis prodantur. O quàm admirabili pruden-  
tia, populos qui tuæ ditionis sunt, gubernas, ac moderaris, & summa in tràquillitate  
conseruas. Iustitia præterea, quæ cuiusq; regni vallum firmissimum ac munimentum  
est: nullo vnquã in principe, quã in te clarius enituit. Nam sua cuiq; pro meritis tri-  
buis: diuites, potentioresq; non deprimis: pauperes, atq; humiles sustines, foues, à con-  
tumelijsq; defendis. In his verò exequendis, admiranda fortitudine nites: quæ aggre-  
dienda non sunt, nunquã aggredieris: nec toleras quæ tolerari non debeant. Nullum  
seditioni, nec violentiæ locum relinquis. Insolentium impetus, ita coërces, vt non mi-  
nus clara, vtiliaq; videantur, quæ abs te domi gerũtur: quã quæ in castris Deo auspi-  
ce præstabis: dum tibi res bellicæ, à Cæsare fuerint cõmissæ: vbi ferrum in superbos,  
& in iam victos clementia, verã animi tui fortitudinem monstrabit. Humanitatem,  
& clementiam incredibilem, non modo subditi, sed & finitimæ & longinquæ natio-  
nes testantur: cum nemini vnquã te adire volenti, occludatur accessus: nec irrita ceci-  
derit, modò fuerit honesta petitio. Ingentẽ dictis virtutibus gratiam addit liberalitas,  
qua ita in omnes vteris, vt non rarò apud te, plus possit dandi ratio, quàm accipientis  
indignitas: nam quæ dignis abs te effundũtur, tam domesticis, quã extraneis, quis nu-  
merare queat? Eò autẽ tua munificentia processit, vt omnium indigentium inopiam,  
secretò scisciteris: qua inuenta, nunc frumento, nunc medicamẽtis, atq; alimentis, nũc  
vestimentis, ac pecunia subuenias. Idq; tam aperta ac serena fronte facis, vt in facili-  
tate dandi, non modò omne abieceris supercilium: verum exigua semper esse, quæ abs  
te dantur, quantũuis magna dicas. Sic ergo magnum hoc mihi, tibi paruum effeceris:  
si libellum hunc nostrum, hac nuncupatione tuam iam factum, & tuo ære quò viuo, ab  
aulis aliorum procerum redemptum: vt tuum tractes, & ab inuidientium detractio-  
ne, tuis quibus præstas virtutibus, defendas. Valẽ magnatum Hispaniarum decus,  
& longa frueri valetudine.

Quid

de vacuandi ratione.

2

Quid sit plenitudo & cacochimia, & quot  
sint viriusq; differentie. CAP. I.



**Q**uam Græci πλῆθος idest multitudo, aut plenitudo, generali voca-  
bulo vocant, est substantiæ cuiuspiã, plusquã conueniat, in aliquo  
loco consistens abundantia. Vnde à tribus multitudinis differen-  
tiæ sumuntur: nempe à diuersa substantia quæ abundat, à loco di-  
uerso, & ab eo cuius ratione dicitur multitudo. Nã plenitudo quæ  
à cibo fit πλοσωνι idest satietas appellatur ab Hippocrate. 2.  
Aph. sent. 4. Quæ à flatu πνευμάτῳ idest inflatio: Quæ à purẽ εμψυμῳ idest sup-  
puratio: Quæ ab alia substantia, aut melli, aut seuo, aut pulti simili, μελινη εἰς στέαρ το-  
μα καὶ ἀδελφωα: Quæ à carne πλοσῶσα idest carnositas, aut corpulẽtia. 2. de temp.  
autore Galenõ: sicut quæ à pinguedine fit, obesitas dicitur. Sic quæ ab omnibus hu-  
moribus proportione auctis, aut non multum à iusta proportione recedentibus fit,  
πλοσῶς idest plenitudo, aut multitudo, minus generali vocabulo nuncupatur: lib. de  
plenitudine, cap. 17. autore Gal. Vbi eam quæ à solo fit sanguine, ceu raram præter-  
misit Galenus. De qua tamen meminerat. 2. lib. de compos. medic. secundum locos,  
cap. 3. vbi ita habet. Fit autem plenitudo, quatuor humoribus ex æquo auctis, aut  
etiam sanguine solo. Nam cum alius quispiam humor redundarit, velut est pituita,  
& flaua bilis, itemq; nigra: eiusmodi auctiõnem siue redundantiã, non plenitudinẽ,  
neq; simpliciter multitudinẽ: sed cũ appositione pituitæ, aut bilis flauæ, aut nigrae,  
in corpore factam multitudinẽ dicunt. Ex quo loco manifestè constat, plenitudinẽ  
Galenõ significare, omnium humorum excessum iuxta proportiõnẽ ipsorum: & san-  
guinis item extra proportiõnem crementum. Quamquam Fuchsius nulla ductus ra-  
tione, aut experimento, aut autorum testimonio, primã tantum plenitudinẽ ag-  
noscat, nõ autẽ secundã: atq; ex redudãtia orationis Galenũ addidisse dicat: aut etiã  
sanguine solo. Intelligit enim (inquit) nomine sanguinis, cum qui ex quatuor concre-  
uit humoribus: qui idẽ penitus est cum omnium humorum augmento. Sed aperte  
fallitur. Primo, quoniam ea expositio est voluntaria, & nullæ rectæ rationi, aut  
experimento innititur. Secundo, nam nugatio potius huiuscemodi, quàm orationis  
vbertas apparet. Tertio, quoniã additio solius, cum dixit, A sanguine solo: indicat  
de vno, non autẽ de omnibus, aut pluribus, fuisse loquũtũ. Quarto, quoniã tres alios  
humores excrescentes, sanguini solo opponit, ceu non facientes plenitudinẽ abso-  
lutã vt ille: sed cum addito pituitæ, aut bilis, aut melancholiæ. Nam omnium humo-  
rum cremento, nõ trium, sed quatuor excessum obijceret: & de sanguine similiter ac  
de alijs statueret, quòd plenitudinẽ facit nõ absolutã, sed cum addito sanguineam  
plenitudinẽ. Quinto, nam sanguis solus in humorum massa, plus alijs excrescere  
potest, libro de plenitudine capite decimosextimo, autore Galenõ: eius autẽ solius  
redundantia non est cacochimia (nam est humor familiaris ad nutriendũ aptus, omni

Ad 2 vitio

vitio carens) erit ergo plenitudo. Sexto, nam solius sanguinis redundancia, curatur vena sectione non aliter: erit ergo non aliud quam plenitudo. Quare si omnes humores aut ex æquo, aut non multum à iusta proportione recedentes redundant, plenitudo est omnium frequentissima: ex solo sanguine rarior, sincera tamen & vera plenitudo creatur. Est & altera adhuc rarior, ex sanguine orta flatulento: ut Galenus est autor libro de Plenitudine capite decimo quinto & decimo sexto. Quæ aut propter cohibitum effluuium, materiæ vaporosa contingit, (ut scribit Galenus lib. 1. de Differen. feb. cap. 4.) aut sudorum interclusa digestionem, tertio Epidemiarum parte tertia commentario. 76. autore Galeno. Atque hæc plenitudines sunt absolutæ, & sine addito sic appellandæ. Nec tamen ob id vetamus, eam quæ ex sanguine solo fit (clarioris doctrinæ gratia) sanguineam plenitudinem (si libeat) appellare, ut libro de Plenitudine fecit Galenus. Sciant tamen verè & sine addito plenitudinem esse, & dici posse. Sunt præter has absolutas plenitudines, quatuor aliæ cum addito, bilis scilicet pituitæ, melancholicæ, & serosi recrementi plenitudines appellatæ, non plenitudines absolutæ: ut ex loco nuper allato è lib. 2. de Comp. med. secundum locos, apertè constat. Simul autem cum dictis humoribus sanguinè oportet esse auctum, ut constat ex Galeno libro de Plenitudine capite decimo septimo: nam nisi sanguis augeatur, fieri nequit ut reliquorum alius tantum excedat, ut vel totius vasa distendat, vel vires degraueat. Quare si sine sanguinis cremento, aut bilis, aut melancholia, aut pituita, aut serum, extra proportionem plurimum augeatur: cacochimia, id est vitium succi, huiusmodi redundancia nuncupatur: quod nimirum succus vitiosus plurimus sit congestus: qui aut à liene, aut à felle, aut à renibus, ante pelli debuisset. Atque hæc mitior est cacochimia: deterior futura, cum dicti humores à iusta temperatione decidant: calfacti, refrigerati, humidiores, aut sicciores redditi, attenuati, incrassati, & viscidiores facti: & adhuc peior si cum putredine obtingat. Hæc enim adeo prauum, nunquam succum reddit: ut etiam in sanguinem non leuiter incidens, cacochimiam pariat: quando scilicet eò usque est adaugeta, & à naturæ modo deficit, ut natiuam gratiam sanguis non amplius recipiat: ut secundo libro Aphorismorum, commentario decimo septimo, vini acescentis exëplo, autor est Galenus. Tanta est ergo sanguinis benignitas, ut etiam si leuiter putreat, cacochimiam non pariat: & aliorum succorum tanta est exorbitantia, ut etiam citra putredinem, sola quantitate excedentes, sint vitiosi. At multitudinis differentie sumptæ à diuersa substantia quæ abundat, hætenus dictæ sint.

A loco vero in quo abundat, plenitudinis differentie sumuntur: Nam quædam est vniuersi corporis, quando in venis vniuersis sanguis redundat: altera est partis cuiusdam, cum in ea parte & non in reliquo corpore excedit. Quod si iam in parte figatur, peculiaria nomina consequitur talis redundancia: in cerebro & meningibus phrenitis, in oculis ophthalmia, in faucibus & gutture angina, in pulmone pulmonia, in pleura pleuritis, & in reliquis simili modo.

Ab

Ab eo verò cuius ratione dicitur multitudo, præcipuæ ipsius differentie sumuntur. Nam multitudinis ratio non consistit in simplici quantitate: sed in relatione. Determinata enim aliqua humoris quantitas, plenitudinem nunquam per se faciet, nisi alteri comparatur. Potest autem in nostro corpore conferri, aut ad vasa quæ replentur: aut ad vires corporis quæ ipsius humoris pondus sustinent, atque gubernant. Ex qua comparatione duo plenitudinis genera consurgunt: quorum alterum ad vasa, alterum ad vires refertur. Horum primum, non in solis consistit animalibus, sed in anima quoque nihilominus carentibus, & subtegmibus, & textis, & pellibus, & vasis fictilibus, æneis, ferreis, ac quæcunque ex auro, argento, stannino ve conflantur. Nam hæc quoque, conclusa in eis spirituosam multa substantia rumpuntur: ut libro de plenitudine non longe à principio, Galenus est autor. Sic in nostro corpore plenitudo ad vasa dicitur, quoties ex sanguinis cremento adeo extenduntur venæ & arteriæ, ut tumeant, & interdum etiam doleant. Atque hic est bonus ille athletarum habitus, cuius mentionem fecit Hippocrates, prima parte Aphorismorum, sententia tertia. Est autem hæc species sola πλεθώρα appellata à Galeno, libro de plenitudine, capite septimo. Quod non aduertunt iuniores, applicantes plethoram vtriusque speciei: ad vires scilicet & ad vasa.

Secundum verò genus plenitudinis, virium collatione æstimatum, in anima carentibus non reperitur: quoniam animæ viribus destituuntur, quarum comparatione plenitudo dicitur. Secus fit in animantibus, quæ triplici gubernantur virtute, naturali, animali, atque vitali: potestque à determinata aliqua humoris quantitate, vnaqueuis dictarum virtutum grauari, altera non grauata: possunt & duas: possunt & omnes simul grauari. Fit tamen semper ut cum vna diutius grauatur, reliquæ in consensum trahantur, & grauamen itidem sentiant. Neque oportet ut quidam exstimant, naturalem vim quæ commutat, prius semper grauari: & reliquas deinde in consensum agi. Nam quod hæc aut illa prius grauatur, ex proportionem pendet humoris replentis, ad facultatem quæ grauatur. Quod fit ut imbecillior semper grauatur prius. Quod verò hæc sit altera imbecillior, aut contra: contingentibus est vtrumque.

Facultas præterea postquam grauata est, etiam si humor degrauians non augeatur, augetur tamè ipsius facultatis degrauiatio: quoniam facultas omnis, ab ipso potere, & grauitatis sensu indies redditur imbecillior. Tantundem autem refert immui facultatem quæ pondus ferre potest, ac pondus ipsam augeri inuariata facultate. Tanta autem potest esse grauitatis sustentia, & ex ea verè debilitatis augmentum: ut vacuationem quam antequam eam sustinisset, ferre posset: iam præ imbecillitate non ferat. Id quod Galenus sentire videtur, secundo libro de ratione victus in morbis acutis, comment. 47. vbi ex immodico cibo grauato ventriculo, virium exolutionem sequi adstruxit. Sed iam tam plenitudinis, quam cacochimie differentias, clarioris doctrinæ gratia sequentibus tabellis comprehendamus. In prima siquidem plenitudinem, in altera verò cacochimiam ad vltimas quasque species partimur.

Aa 3



Ex omnibus humoribus equaliter abundantibus.  
 Ex omnibus pariter aequali proportione repletibus.  
 Ex sanguine solo.  
 Ex sanguine flatulento.

Absoluta plenitudo

A diuersa substantia que abundat

Cum addito

Bilis.  
 Pituita.  
 Melancholica.

Seri. Oportet autem simul cum his auctum esse sanguinem nam si sine sanguine, dicitur au-  
 geantur succi, non erit plenitudo, sed ca-  
 cocchymia.

Plenitudo vniuersalis.

Aut sanguis continetur in vasis fluidus.

A loco in quo abundat.

Multitudo suscipit  
 differētiās a tribus,

Plenitudo particularis

Pleuritis.

Aut fit in parte

Phrenitis.  
 Pulmonia, & alij.

Cum vasa plus sanguinis habent quam delent.

Cum non solū exceditur naturalis mēsurā: sed  
 copia est tāta, vt eam vasa non capiant.

Ad vasa

Ab eo chinsuratione dicitur multitudo

Naturales.

Ad vires

Vitales.

Animales.

Bilioſa.

Pituitosa.

Melancholica.

Serosa.

Sanguinea.

A diuersa substantia.

Mitior. Ex humore suam naturam seruante.

Deterior. Ex humore extra naturā alterato. Alteratur autē

Pessima. Ex humore putrente.

Ex sanguine hæc fit adeo putrente, vt natūā gratiā non recipiat amplius: quā  
 non tam cacochymiam, quā corruptionē, appellauit Gal. 2. Aph. com. 17. Corrup-  
 tionis tamen vocabulum pro cacochymia sumpsit, libro Quos & Quādo. quoniam  
 vtraque vitiosum succum reddit.

Calidus.  
 Infrigidatus.  
 Humectatus.  
 Siccatus.  
 Tenuatus.  
 Crassior factus.  
 Viscidior redditus.

Aut in vniuersis vasis.

Vniuersalis.

Icterus, ex bile.

Aut extra vasa in ambitu totius

Icterus niger, ex melancholia.

Aut in vasis partis,

Aut humores, fluxi sunt in parte.

Aut in parte ipsa extra vasa.

Aut fixi & in parte cōprehensi.

Cacochymia  
 suscipit dif-  
 ferentias.

ferentias.

A loco in quo abundat.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

ferentias.

Non suscipit differētiās a vasis, aut viribus, vt plenitudo. Nam cū cacochymia cōsistat ex prauo succo, per se & sine cōparatione ad aliud  
 est cacochymia & praternaturā. Plenitudo verò ex benigno sanguine nata cum sit, nō per se, sed in collatione virium aut vasis, præter  
 naturalis erit vniuersam.

Erysipelas, a bile.  
 Aedema, a pituita.  
 Scirrhus, a melancholia.



Plenitudinis ad vasa signa sunt triplicia: præterita, præsentia, et futura. Præterita sunt, cibus auetus, exercitiū imminutū, vacuationes suppressæ, et vniuersum regimē quod præterijt sanguinis multiplicatiuum. Futurum verò tēpus spectat, leuitas quæ sequitur sanguinis vacuationē, aut ab arte, aut à natura factā. Nā si vacuatus inde iuuatur, statim existimatio de multitudine cōfirmabitur, et crescet audacia in eisdem simili modo euacuādi. 2. Aphor. com. 17. autore Gal. Præsentia sunt, venarum tumor, et tensio, et lassitudo tensiua, quæ tētionis ipsius sensus est quidā. In extrema autem repletionē, non modo vasa tument, sed carnes et vniuersa etiā corporis mēbra: omnibus iam meatibus præ copia alimenti adeo distentis, vt nihil iam adijci ipsis partibus possit: neq; venæ amplius habeāt conceptaculū, in quod alimentum distributum recipiatur: vt. 1. Aphor. com. 3. autor est Galenus. Inditiū autem hoc tumoris venarū, non est vsquequaq; firmū, nisi tribus conditionibus adhibitis. Prima quoniā vsu venit nōnunquā, venis licet distentis exterioribus, distētis quoq; interiores nō perinde esse: vt (verbigratia) frigore domināte, sanguis ad ima detruditur, adeoq; venæ exteriores exinmaniūtur sanguine, vt ne videri quidē possint. Rursus vbi calor incessit, aut lotus quis est: sanguis pfunditate relicta, ad extrarias partes corporis effertur. Quod si et ardens febris adsit, tunc quoq; vri corpus quasi feruēs, inflari, ac fundi, est necessē. Quamobrē tumor venarū, nequaquam humorū multitudinis inseparabile inditiū est: sed talem statum homini subesse oportet, vt neque partes interiores, exterioribus, neque his illæ, plus caloris obtineāt. Secunda conditio est, vt per totum animal inmodica caliditas non sit: humorū enim talis ex ea tunc fit fusio, vt venas in tumore attollat. Non tamen sanguinaria multitudo, sed spiritiuosa iudicatur: resoluuntur enim in spiritū calefcētes humores. Addere quoq; et tertium oportet (vt hoc sit inditiū firmissimū) calorem partis plenæ, qui à sanguine semper procedit. Nam posset etiam à flatu hic vasorum tumor excitari: quin et à pituita, vt in ea hydropis speciei quæ leucopblegmata nobis appellatur. Hæ verò plenitudines proprias habent notas, quibus dignoscātur: neq; credo etiā rudissimos posse falli. Sed iā hic scrupulus subest: diximus enim ex Galeno ante, plenitudinē ad vasa fieri quādoq; ex sanguine flatulēto: iā verò hic eam à plenitudine separamus. Cui nos respondemus, aliud esse humores vasorum fundi, et in flatū verti, ob calorem et febrē: aliud verò vapores sanguinis per cutē exhalādos, cohibere ne per cutē vacuētur. Primū nāq; horū humores potius minuit, quā augeat: secundū verò auget, non minuit eosdē. Nā sanguinis vapores nō reperietes viā quā exhalēt: ob stipationē iterū in sanguinē, eumq; vaporosum densantur. Simile enim fit in corpore humano, ac in ijs quæ igne destillant: ibi enim vapores à cucurbita destillatoria ascendentes, et non reperientes exitū: ob ingentem conculcationē in humorem

concer-

conceruntur: qui per nasum alembici vacuatus, in aliud vas destillat. Sic sanē sanguinis vapores: bene valente homine, per cutis meatus transpirant: cute verò densata, ac via præclusa qua exhalare deberent, in sanguinem rursus coguntur, et plenitudinē faciunt. Alterū inditiū plenitudinis ad vasa, est rubor vniuersi corporis, et maxillarū, omni causa externa sublata: scilicet frigore, tristitia, timore, quæ tradūt sanguinē ad interiora: et calore, ira, pudore, quæ ad exteriora ipsum alliciūt: et furore quo mulieres faciē dehonefāt, et qui subest colorē mentiūtur. Tertium aliud inditiū desumitur ex Gal. lib. de multitudine: quod scilicet in hac plenitudine dē bonitatē suā seruat, sanguis pariter augetur cū viriū robore. Pulsus etenim habēt validissimos, sensus vegetos, ad arbitrarios motus agiles sunt, et prōpti: scilicet cibos cōmutāt, et ipsis enutriūtur. In summa hoc solū malū, hic habitus cōtinet: quod ad extremam venit repletionē, alioqui inculpabilis existit: nam et bonis abundāt humoribus, et vires robustas habēt athletæ, vt. 1. Apho. com. 3. autor est Galenus.

Plenitudinis ad vires inditia, multò sunt difficilliora: ne eam exactē internoscere, leue negociū esse putes. Sunt autē hæc inditia diuersa, pro varietate viriū quæ grauātur. Nam animalis facultas grauata, ex sensu et motu dignoscitur. Ex sensu quidem incūbentis oneris, et ex motus pigritia, atq; segnitie: quod si moueri pergant, multo magis grauātur, et dolent. Symptomata enim motus, pēdet ex symptomate sensus: et ob id pigrē mouentur, quoniā ex motu peius habent, et grauamen magis sentiunt. Non est autē omnibus nostri corporis partibus, persimilis sentiendi vis: sed quedam obscurā, quedā manifestam, quedā prorsus nullā, sentiendi facultatem sortiuntur. Neq; omnes persimili modo replentur: sed quæ maiores habent venas magis, quæ minores minus. Quæ certē causa est, quod in vniuersali plenitudine, dorsum, et partes quæ ad dorsum sunt, magis doleant: quoniā scilicet arteria et vena magna, quæ per eum locū incedunt, neruorū exortū (qui ibi sit ingens) maximè grauāt. Collum præterea, et thoracis muscoli, dolere solent, atq; grauari: quoniā vim habent apprimē sentientē, et venas effatu dignas. Caput præterea ex plenitudine vehementer dolet: nam præter plurimas quæ ad ipsum terminantur venas, vniuersi corporis vapores excipit, et meninges plurimi sensus habet. Pleura, mediastinum, septum, vesica, et ventriculus, ob venarum quæ in ipsis sunt plenitudinem, et efficacem sensum, dolore maximo cruciātur: qui sanguine vacuato, statim recedit non reuersurus, vt sæpe sæpius nos in earundem partium doloribus, sumus experti. Partes verò exiguo sensu donatæ (vt pulmo, iecur, renes, ossa quædam) si multitudo parua fuerit, nullam grauitatem percipiunt: si verò magna, obscuram: sic enim Galenus se in osse, multitudinem persensisse commemorat. Quod si nullus omnino adest sensus (vt in quibusdam ossibus, pinguedine, adenibus nonnullis, medulla, et vt quidam putant carne hepatis, lienis, pulmonis, et renum, contingit) vt nihil possunt huiusmodi partes sentire: sic neque grauitatem. Non ergo in vniuersali plenitudine, medicus spectet omnium partium grauitatem

Aa 5 mani

manifestam: sed earum tantum, quæ vim sentiendi habent efficacem. Intelligatq: in membro hebetis sensus obscuram grauitatē, non leuem plenitudinem ostendere, Est enim grauitas, eius multitudinis quæ ad vim sentiendi pertinet, signum perspicitissimū, libro de Plenitudine autore Galeno. Vbi ne hoc signo decipiaris, te admonet, quod grauitas ab alio quàm humore nasci potest: nempe à partis pondere, veluti in paralyticis cōtingit, & conualescentibus, & senibus. Est enim grauitas percepta, signū multitudinis ad vim animalē: nisi à pondere partis quæ grauitatē sentit oriatur affectus. Quod primitus ad huius signi firmitatem oportet medicū cōsiderare.

Vitalis vero facultatis à plenitudine grauatæ inditia, sumuntur à pulsus inæqualitate, tam in vno arteriæ motu, quam in plurium collectione: vt lib. 2. de Caus. puls. per totum librum Galenus est autor. Nam facultas vitalis, si sit per essentiam infirma, pulsus creat aut æuales, aut æqualibus proximos. Vbi vero valida sit sua sponte, opprimatur autem à copia humorū: dictas efficit inæqualitates. Quod exemplo Galeni perspicies facilius. Ob oculos ponamus duos homines, qui incedant pedentim, sit alter robustissimus simul & florentissima ætate, verum pondus portet grauiissimū. Alter prorsus nihil baiulet, præter sit imbecillis ex morbo, aut ex senectute. Iam nec multū progrediantur hi, nec celeriter: itaq: nihil differēt in actione: sed in eo different, quod æquis plerūq: passibus procedet ægroius, diuersis valens ac inæqualibus, & alias alijs: nam ille quidem ne si contendat quidem, poterit vnquam, vel magnā vel celerem actionē obire. Robustus vero etiam ferè perinde, interim tamen maiori alacritate, celerius aliquātisper & magis æget: deinde ab onere pressus, ad primā tarditatem, & actionis paruitatē redibit. Idem vsu venit arteriarū actioni, nam cum est delapsa in imbecillitatē facultas insignem, pulsus eduntur languidi, parui, tardi. Sin illa quantum in ea est valeat, sed aliqua copia degraetur, varios tunc, inæualesq: efficit: plurimos (cum graui onere pressa sit) languidos & tardos & paruos: cum leui, plerosq: vehementes, celeres, magnos. Cum vero nec admodum grauis, nec nimitū leuis offensio sit, ferè vt in copia contrarios: vt nec plures possis dicere, nec pauciores, vel vehemētes esse imbecilibus, vel magnos paruis, vel celeres tardis. Vbi vero maiori adhuc copia grauatur vitalis vis, nec vnā pulsationē æqualiter perficere potest. Ab onere enim lassata, antequam inceptum motum absoluat, in media distentione quasi respirans: nonnunquā retardat motum, interdum vero subsistit, atq: inde residuū distentionis apponit. Quo magis vero ab onere premitur: eo remissius & tardius hanc vltimā pulsus partem obit. Quo validius vero & celerius eā adijcit, eo minus oppressam esse significat: maiorq: inde est spes, non prorsus victam iri facultatē. Sunt autē hoc in generē, multæ inæqualium pulsū differentie, tam in vno motu, quàm in plurium collectione, quæ plenitudinē ad vires denūtiant: vt .2. lib. de Caus. pul. & .2. de Præs. ex pul. autor est Galenus.

De cōparatione verò inter hæc duo inditia dicta, dixit Gal. lib. de Plen. ad finē: clarius & certius inditium, ex arteriarum motu, quàm ex sensu grauitatis desumit.

Nam

Nam in plenitudine ad vires, qui natura sunt admodū sensiles, obscurā quandā, & profundam grauitatem in corpore sentiunt: alij omnes nullam: idq: ob arteriarū atq: venarum naturā, quæ sensus obscurissimi sunt participes. Pulsus verò rectissimus (ad eum quē diximus modū) plenitudinis ad vires est index. Magna enim ex parte, vnā cum arterijs, venæ in plethora ob vasorū confluentiā cōstituuntur, nisi cum collecti in venis, tenaces, crassiq: humores, non facile in arterias deriuntur (quod raro fieri solet) transfluunt enim prorsus humores, nisi crassi ad summum, ac læti fuerint. In qua dispositione, ex motu arteriarum nullum signum congestæ in venis multitudinis desumitur, apud Galenum libro de multitudine citato, vbi reprehendit Nicarcum, ac Praxagoram, quod in ea dispositione sumebant ex pulsu plenitudinis inditia. Hic verò Galenum demiror, nec video quomodo sibi consentientia dicat: nam

2. lib. de causis pulsuum, cap. 2. ita scribit. Accidit etiam pulsuum inæqualitas interrim ex sanguinis copia, qui aut in Venas, aut arterias ipsas sit infusus. At hæc quidem sanguinis missione sedatur facillimè. Etenim copia illa in venis, arterias non secus ac tumor præternaturam, vt pote ijs vicinas, premit & constringit, vacuata per sanguinis missionem, illico venarum tumorem retrahit, statimq: etiam locum arterijs amplum ad motum dat. Vbi quia solitam functionem nemine interpellante tenent, simul cum ea æqualitatem naturalem pulsuum recuperat. At vero hic sanguis qui in arterijs est, quæadmodū occupet spiritus riuos, quid refert narrare? potissimum si crassus, vel lentus, vel si extremis earum finibus sit impactus. Tum enim quia nec allicere spiritum, nec reddere valent, diuersas simul & difficillimas faciunt inæqualitates, præcipuè si vel propè ipsum cor, vel procul quidem, sed in nobiles partes impingāt, obstruātq: illi succi. Ex quibus Galeni verbis colligitur primo, quod plenitudo venarum comprimens arterias (etiam si succi non transfluant) pulsuum inæqualem facit. Nam cum arteriæ restrictæ, non possint satis distendi in singularum actionum defectione vsu interim magnum coaceruant: cuius rationē violenter & vehementer agere, facultas cogitur: vbi maiorem prioribus, & vehementiorem, & etiam celeriore, necesse est pulsuum euadere. Constat secundo ex hoc Galeni loco, lentos, ac crassos succos, posse etiam è venis in arterias trāsfluere. Colligitur tertio, quod tam plenitudo arteriarum, quàm compressio quæ fit à plenitudine venarum, ob id pulsuum perturbat, quoniam spiritus riuos occupat, ne liberè trāsfluere, & locum distentionis implere possit. Potest autem tam valida à plenitudine fieri, aut compressio, aut obstructio: vt pulsus deficiat prorsus. Omnino enim cōsistere, & retineri, significat semitas spiritus prorsus obstructas esse: vt lib. 2. de causis puls. cap. 4. Gal. est autor. Pulsuum ergo inæqualitas efficacissimum signum est plenitudinis ad vires: quod tamen te fallere potest, nisi ad alia à quibus etiam pulsus inæqualis fieri potest attendas. Fit enim interdum inæqualis pulsus, ob facultatis vitalis imbecillitatem per se, & in sua essentia: ab hac tamen, nec motum vnquam aliquem videbis vehementem: nec tam manifestam, & crebram inæqualitatē. Vbi va-

lida

illa verò vis est, & à plenitudine grauatur. quosdam pulsus magnos, celeres, & vehementes aduertes: & manifestam atq; crebram inspicies inæqualitatem, vt in exemplo Galeni, iuuenis & senis allato est videre. Fit etiam inæqualis pulsus, ab arterijs induratis: aut ab inflammatione vel scirrho aliquo tensis: per simile enim est arterias à plenitudine premi, ac ipsas rigidas esse, & ad motum cõtumaces. Vtrobique enim arteriæ restrictæ, liberè distendi nequeunt, & vsus magnus ex singulis defectionibus, ad vnã pulsationem coaceruant. Sed hoc ipsarum arteriarum durities pãdit. Fit ad hæc inæqualis pulsus, ob obstructionem magnarum arteriarum pulmonis, ex liquidis & crassis, & viscosis humoribus, aut ex crudo earundem tuberculo: veluti Antipatro medico cõtigit. 4 lib. de locis, cap. vlt. Verum hoc perquam rarum est: & ipso malo aucto, difficillis respiratio redditur: & magis increfcere, cordis etiã aduenit palpitatione. Plenitudo verò ad vires, nec rara est: nec difficillis ad eã spiratio necessariò sequitur. Fit præterea inæqualis pulsus, à cõtrarijs animæ accidētibus, quæ hominẽ simul inuadunt. Exemplo tibi sit ira cū timore cõiuncta: hæc enim varios, & inæquales creat pulsus: nã propter vindictæ cupiditatẽ, alti, magni, celeres, vehementes: quia verò timor est maior accipiendi mali, quã spes inferendi: parui, humiles, lægidi, & tardi fiunt. Quare inuicẽ vtriq; pro causæ præpollētis natura videtur euariari: ac excellit modò ira, modò metus. Oportet ergo si pulsuum inæqualitas plenitudinem ad vires est mostratura: Primo hominẽ à causa omni externa liberum esse: ira, timore, gaudio, tristitia, & reliquis. Secundo, arteriarum abesse duritiẽ. Tertio, quòd magna arteriæ pulmonis quæ propè cor sunt: nõ obstruantur aut à pituita, aut à crudo aliquo tuberculo. Quarto, quòd paruis, tardis, & remissis pulsibus, interiaceat vehementes, magni, & celeres. Vis naturalis grauata difficillius, & tardius, quã aut vitalis, aut animalis dignoscitur. Quod voluit Galenus libro de multitudine, his verbis. Veruntamen eius quæ ad venas refertur, signum aliquod quo scire id liceret, ipse non reperit: aut scriptum inuenire apud alium potui. Quo loco per plenitudinẽ quæ ad venas refertur, nihil aliud quã plenitudinẽ quæ vim naturalem grauat, intellexit. Nec id immerito, nã per venas vis naturalis, & nutritionis materia, in vniuersum corpus à iecore deriuatur: sunt quæ venæ, seu virtutis naturalis, habitaculum, & præparatorium alimentum. Huius sanè virtutis grauata, nullum signum Galenus se nouisse, aut scriptum inuenisse commemorat. Nos verò ex nutritione imbecilla, deprauata, abolita, & ex vitio attractionis, retentionis, coctionis, expulsionis, naturalis appetitiæ, & ex malo corporis colore: multitudinẽ ad naturalem facultatẽ cõgestã esse cõiectamus. Si nimirum nõ affuerint signa, aut cacochimiæ, aut alterius morbi, à quibus vitium dictarum actionum pãdire possit. Est & alterum nõ leue inditium, sanguinis corruptio: nã licet plenitudo hæc incipere possit absq; corruptione, nõ potest diu sine ipsa optima permanere. Necessè enim est vt à facultatibus naturalibus alteretur sanguis: quæ cū plus iusto sint grauata et oppressæ, innaturalẽ trãsmutationẽ inferunt, ex qua sanguis necessariò corrumpitur, vt, 2. Aph. com. 17. & 1. libro de feb. diff. cap. 6. autor est Gal. Adderunt ergo

hac plenitudinis specie, signa quæ sanguinem corrupti declarant: quale est vrina rubra & crassa, sudoris, vrinæ, & deiectionis graueolentia, vini sapor in ore, talẽ enim saporem acquirit putrescens sanguis, vt retulit inter Arabes Azarabius, capite de Synocha. Quòd verò fœtor sit putredinis inditium, experimento constat rerum quæ putrescunt. Quòd verò vrina, ob solam sanguinis redundantiam, nisi accedat putredo, nec rubra, nec crassa admodum reddatur, cap. 35. docuimus. Et Galenus confirmat lib. 9. Methodi, vbi enarras historiam iuuenis cuiusdam, qui febre sanguinis nõ putrescentis vexabatur: vbi signum ab vrinis sumptum recenset, sic scribit. Iam verò & vrinas, tum crassitudine, tum colore, à naturali habitu non multum alienans inueni. An verò hic exiguus excessus, à naturali habitu, de quo meminit Galenus ad crassitiem, aut tenuitatem vrinarum declinet, alterius est considerationis, cuius libro nostro de causis vrinarum qui ad manum ferè est mentionem faciemus. Huius præterea plenitudinis signum aliud non contemnendum, à causis sumitur iuuentibus & lædentibus: quòd nimirum peius habent à cibo, & euacuationibus parum extenuantur. Et verè reperias nonnullos, post missum sanguinem magis vegetos, viuidos, ac felicius enutritos: quoniam humorum sarcina leuata, naturalis facultas, vberius corpus enutrit, & quod reliquum sanguinis est, in animantis substantiam commutat.

✶ Auicennæ locus difficillis interpretatur.

C A P. III.



Vicenna primo libro, seu secunda, doctrina secunda, summa prima, cap. 6. de plenitudine ad vires, in hunc modum scribit. Et secundum plurimum repletio secundum virtutem, generat ægritudinem, antequam eius compleantur significationes. Id est vt plenitudinem ad vires dignoscas, non requiras omnium signorum præsentiam, nec postremum complementum: nam cum hæc omnia adsunt, iam ægrotat homo. Sufficiant tibi quedam signa, ab vna aut altera facultate sumpta: nec ea ipsa plurimum aucta requiras vt homini subuenias: præstat enim præcauere ante quã morbi fiãt, quã iam factos curare. Nam quẽadmodum qui onus gestat, nõ protinus vbi grauatur, ac fatigatur, iam cõcidit, & victus ab eo est: ad eundẽ modum vbi virtus à plenitudine grauatur, fieri potest vt nõndum ægrotet homo. Siquidẽ nonnulli qui cõsuetamuniam obeunt, sentire se graues, pigros, segnes, & egrè mobiles dicunt (vt libro de sang. missione, cap. 4. Galenus est autor) hos autem vacuare, antequã aut morbum incidant, aut humores corrumpantur, vtile est. Incipere enim potest (vt nuper dicebamus) plenitudo ad vires, cum humorum bonitate: nequit tamẽ eiusmodi permanere, sed à nostri caloris fauore destituta, corrumpitur, & fit morborum causa. 2. lib. Aphorism. & lib. 9. Methodi, & 1. de febrium differentijs, cap. 6. autore Gal. Hunc Auicennæ locum attulimus, quòd à nemine suorum interpretum;



ita fuerit explanatum: & ne cum altero loco Galeni de sanguinis missione citato, pugnare quispiam crederet.

☞ An in plenitudine ad vires extendatur vasa.

CAP. IIII.



**V**idebitur forte cuiuspiam, quod plenitudo ad vires, non modo virtutem grauet: sed praeter id etiam vasa distendat, & in tumorem attollat. Primo, quoniam nomen plenitudinis non videtur conuenire, nisi humorum copia excedat mediocritatem. Secundo, quoniam in vtraque plenitudine, laudat vacuationem Galenus, libro de sanguinis missione, capite quarto: haec autem non conuenit in humorum defectu, dum a paucissimis grauatur virtus. Tertio, quoniam in omni corpore languido propter distemperantiam sine materia, esset plenitudo virium: hanc autem statuere in hectico, & marasmo correpto, videtur ridiculum. Quarto, quoniam Gal. lib. 9. Methodi, ubi contrariam sententiam videtur statuere, non dixit quod plenitudo ad vires non distendit: sed quod non eatenus distendit ut plenitudo ad vasa. Sunt autem haec Galeni verba. At illud vel me tacente constat, ijs praesertim qui librum de plenitudine studiose perlegerunt, quanquam & nunc quoque a me dicitur, non esse nunc nobis de ea abundantia sermonem quae ad virtutem comparatur (quippe quae nec sic obstruit venarum ora, ut refrigerationem prohibeat, nec tunicas earum distendit, nec ruborem, nec tumorem inuehit, multoque minus vel carnis vel cutis transpirationem moratur) verum de ea quae contineri a vasis ultra non valet.

Sed falsa esset istorum me hercule sententia, nam cum grauari pœdeat ex proportione humoris grauantis, ad facultatem quae grauatur: erit saepenumero mediocre, aut paucum etiam alimentum, infirmiori naturae molestum & graue: atque plenitudinem in comparatione ad eam naturam committet: hoc autem vacuari postulat, debetque vacuari si caetera annuant. Si virtus nimirum non admodum reluctetur, ut in hectico, & marasmo: in quibus quae virium collatione aestimatur plenitudo, saepenumero visitur, sanguis tamen non detrahatur: quoniam ut autor est Galenus in Thrasibulo, praesidium omne constat ex postulante, & consentiente. Vacuationem postulat humor grauens, quantumque sit infra mediocritatem. Hectici vero ac marasmati vires imbecillae, eam exonerationem non sustinent: quod nimirum cum humore spiritus vacuentur, & innatus calor (qui perseverantiam ex sanguine obtinet) extinguitur ac aboletur. Accedit quod 9. Meth. citato, distentionem, & venarum tumorem, non annecti necessario plenitudini ad vires docet. Nec nos remoratur quod subobscurius dixerit, non sic distendi: nam libro de plenitudine, non longe ab initio, apertius & latius plenitudinem ad vires sine distentione vasorum posse contingere docuit: exemplo ventriculi a cibo quantumvis exiguo grauari & exemplo vesicae imbecillis grauatae, & nequaquam distendit: et similitudine inuenis;

& pueri, qui non possunt idem onus portare: sed quod puero est grauissimum, id inueni leuissimum pondus existit.

☞ Quod vtraque plenitudo, & cacochimia,

consistere possunt seorsum, & quadrupliciter copulata.

CAP. V.



**P**LENITUDO ad vasa, & ad vires, & cacochimia, possunt seorsum reperiri: possunt & inuicem, quatuor modis copulari. Plenitudo ad vasa, cum plenitudine ad vires: plenitudo ad vasa, cum cacochimia: plenitudo ad vires, cum cacochimia: plenitudo ad vires, & ad vasa, & cacochimia simul. Plenitudo ad vasa seorsum, contingit quoties venae in tumorem attolluntur, a sanguine benigno, sine virtutis alicuius offensa, ut in athleticis. Plenitudo ad vires sola reperitur, quoties a sanguine benigno, qui mediocritatem suam quantitate non excedit, aliqua nostri corporis facultas oneratur. Cacochimia tunc fit sola, quotiens aut pituita, aut vtraque bilis, aut serum, sanguinem praeter proportionem inquinat: aut sanguis ipse valde corrumpitur, citra venarum tumorem, & corporis grauitatem, ut in ictericis contingit. Ex quo detegitur error quorundam existimantium, quod plenitudo ad vires sit cacochimia: nam grauari possunt vires, a sanguine incorrupto, quo tempore cacochimia nondum adest: adert tamen cito, quoniam non potest sanguis, qui vires grauat, nativam gratiam diu seruare. 2. lib. Aphor. com. 17. autore Galeno. Erratque ob id non minus Auicenna. 2. 1. cap. de signis repletionem significantibus, ubi ita scribit. Secundum virtutem vero repletio est, ut humores quantitate sui, nocumentum non faciant, sed malitia qualitatis ipsorum tantum: quapropter virtutem, malitia suae qualitatis vincunt, & fiunt inobedientes ad digerendum, & maturandum. Quibus verbis constat, apud Auicennam plenitudinem ad vires, sine qualitatis vitio fieri non posse: cuius contrarium ex Galeno nuper diximus. Quod vero errent etiam & alij, qui in plenitudine ad vires, vasa necessario distendi existimant, praecedente capite monuimus. Seorsum enim vtraque harum plenitudinum, consistere potest: possunt etiam atque id frequentissime contingit, ambae plenitudines copulari: quotiens ab iisdem humoribus fuerit grauitas, & tensio. Quod si humores a quibus haec fiunt, aut corrumpantur, aut nativam proportionem non seruent: in vnum iam copulabuntur vtraque plenitudo, atque cacochimia: sicut si ab humoribus ipsis corruptis, aut proportionem excedentibus sola fiat tensio, copula adert ex plenitudine ad vasa & cacochimia: si sola grauitas sine tensione, plenitudo ad vires & cacochimia, in vnum coibunt.

☞ An sola humorum transpositio, cacochimiam pariat. CAP. VI.

Libro



## Libeꝛ de plenitudine



**I**BRO de natura humana, commentario vigesimo secūdo, Galenus, & Hippocrates scribunt: quòd vbi quispiam de quatuor humoribus solus, aliqua in parte restiterit, ab alijs semotus, neq; sit cū illis per totos cōmistus, dolet animal: quia vtraq; iam pars, & vnde discessit, & ad quā se contulit, in intemperiem incurrit.


Nō enim sola quantitate, parti in quā inuaserūt, graues sunt: sed & qualitate, dolorem excitāt: dū magnopere aut calfaciunt, aut refrigerāt. Ex quo nō modò apparet, quòd citra alicuius humoris augmētum, cacochimia cōtingere potest, ob solam succorū impermistiōem: verū quòd ex impermistiōe, duplex oritur vitium, & in parte vnde discedit humor, & à quò discedit: sicut in excessu vnicū, in ea scilicet parte in qua excedit. Simile est, quòd legitur apud Gal. 2. lib. Aphor. comment. 17. in hæc verba. Nutritur siquidem pars vnaquæq; ex proprio alimento, quod rectè diceremus esse illi secundum naturam. Cum igitur aliquādo ad ipsam peruenerit aliquis humor, qui alteri quidem parti sit secundum naturam, ipsi verò alienus & præternaturam, malum quidem hoc existit, non tamen ex necessitate sequetur morbus, vbi exigua portio fuerit. Nam cū neq; illa medicamenta, quæ naturam habent exitiale (sicuti mādragora, papauer, atq; cicutā) possint sine quantitate nocere: multo minus huiusmodi humor, qui præter id quòd non est exitialis, etiā alias partes enutrire potest: alioqui ipsum, neq; alimentum vocasset, nisi tali esset natura præditus. Sicuti igitur si parum aliquid aëris, per gulā ad ventriculum deferretur: aut pot. humiditatis pauçillū, ad pulmonem per asperam arteriam dilaberetur: neq; ventriculus quo ad hoc egrotaret, neq; pulmo: eodem modo se res habet, etiam in aliarum partium alimento. Quibus verbis patet, quòd sola transpositio humorum (dum modo ea sit momētanea) vitiosa est, & morbum creat. Quod tamen superius dictæ de cacochimia sententiæ non aduersatur. Nam cum bilis quæ in sano homine, cum sanguine permixta, & confusa reperitur, à sanguinis societate separatur, & in cerebrum (verbi gratia) irruit: debita quæ prius, inter humores, non seruatur lex, & proportio: sed in cerebro cacochimia fit biliosa (quandam enim diximus superius, esse cacochimiam partis, & alteram totius) in vasis verò (à quibus bilis in cerebrum confluxit) cacochimia est pituitosa, & melancholica: quòd nimirum plus habeant vasa, horum succorum, quàm pro bilis ratione. Cum alimentum præterea lienis, aut alterius partis, ad cerebrum transfertur: cacochimiam incurrit cerebrum melancholicam, aut illius sanè humoris, à quo pars cuius alimentum est translatum, nutritur.

Quibus indiciis redundans in corpore succus dignoscatur.

CAP. VII.

Humores

## & cacochimia.



**H**umores qui redundāt, interdū grauant vires, alias vasa distendūt, & nonnunquā proportionē iustā excedunt. Prima duo, plenitudinē ad vires, & ad vasa faciunt. Est quoq; in tertio agnoscere plenitudinē, cum nimirū sanguis solus, aut ex alijs humoribus alter, simul cum sanguine proportionem excedit, vsq; ad tensionem, aut grauitatem. Reliqui enim à sanguine succi, non possunt soli vsq; adeo excrescere, vt tensionem, aut grauitatem inferant: nā proueniet ab eis alius quidam affectus, antequā eatenus increcant; libro de plenitudine autore Galeno. Indicia sanè plenitudinis dicta sunt, humoris verò exuberantis, & proportionem excedentis, aut si mauius dicere humoris peccātis, vel sua qualitate molestantis, hoc capite describētur: vt nemo posthac hæsitet, in quouis agro, aut de humore vacuādo, aut de genere vacationis obeundæ. Magis est enim humoris vacuandi cognitio necessaria, quàm quiduis aliud in arte medica nouisse. Qui namq; humorē vacuandū qualis sit tenet, morbi atq; symptomatis substantiā, & exterminādi rationem, quodā veluti cōpendio est assequutus, etiam si quo nomine, morbus ab antiquis fuerit appellatus, & propriū etiam (vt nostri appellant) caput, ad quod singulos egrotantes referat, ignoret. Quem tñ ego laborē nō improbo, nā capite lecto, plurima succurrunt ex autorū monumentis, quæ forte non innotescerent medico sola methodo vtenti: quantumuis per diuisionem, ac resolutionem, morbi substantiam, atq; causam cognoscat, & intentiones curatiuas eliciat. Medicorum verò qui passim habentur, ignorantiam non sero: qui morborum nominibus seducti, vnum aut duos præcticos adeunt: & morbi causa non intellecta, agrū suis zylapijs, emplastris, embrocationibus, epithematibus, conditis deauratis, pharacis, phlebotomijs, ac alijs: nunc bis, nunc illis, discruciant & interficiunt. Quanquā verò cuiusq; horū erratum reprobum sit, quòd de vacatione tractat pessimum est, & minimè ferendum: qui enim vnum pro altero succo vacuat, naturam dissipat, & morbum simul exacerbatur. Plurimum ergo nouisse refert, humorem in quouis corpore redundantem, atq; ipsius humoris conditionem. Traduntur autem ab autoribus indicia plurima (nullus est enim qui ob maximam vtilitatem, hunc lapidem nō voluerit) quæ nos hic breui summa, & ordine colligemus. Ab Hippocrate sumpto initio, qui primò Aphorismorum libro, sententia secunda, humorem redundantem dignoscit, ex regione, anni tempore, ex ætate, & ex morbis. In commentario verò Galenus, addit colorem qui in toto corpore præternaturam representatur. Quarto verò Aphorismorum; cōmentario secūdo, addit symptomata, præsentem aëris constitutionē, naturā egrotantis, vitæ industriam, & victum. Addit quoque menstruas purgationes ex Hippocrate, primo libro de morbis muliebribus: Vbi robur quoque memorat Hippocrates, à Galeno non numeratum. Quarto quoque libro de tuenda valetudine, addit pustulas, sudorem, sudoris qualitatem, vrinas, calorem & frigus, assuetudinem aceruandi humorem aliquem, omissas excretiones solitas, omissas exercitationes, & lassitudines. Libro verò de plenitudine ad finem, addit somnolentiam & insomniam,

Bb aspectum

aspectum aegrotantis, famem & sitim. Atq; ut singulas repetamus, regio, & anni tēpus, in una aëris constitutione includuntur. Quod verò aër nostra corpora immutet, talesq; succos generet, qualis ipse est: calidus calidos, & frigidus frigidos, rationi est cōsonū: nā nullū est, aut mīstum, aut elementum, quò tam assiduè conuersemur intus & extra, per inspirationem & transpiratum. Natura aegrotantis non parum facit ad dignotionem humoris redundantis: siquidem calidæ naturæ, calidos succos, & frigida, frigidos creant: præsertim iecoris, qui autor humorum est. Sic calidum iecur, calidiorē rem habet sanguinem, & flauam bilē abundantem: frigidū verò, sanguinem frigidiorē, & redundantem pituitam: siccum, sanguinem crassiorē, & minus abundantem: humidum autem, abundantiorē & humidiorē, ut libro artis medicæ de iecore scribit Galenus. Intēperatum enim iecur, magis trahit ex chilo, partē succi sibi simīlē, quā dissimīlē: calidū calidam, frigidū frigidam, siccū siccā, & humidū humidā. Quā rursus iuxta suum intemperamentū alterat, redditq; ipsam calidiorē, frigidiorē, humidiorē, aut sicciorē: fitq; in sicco intemperamento, minor sanguinis copia: tum quia pars sicca quæ attrahitur, sanguini gignendo est inepta: & ea rursus à sicco intemperamento exsiccatur, absūmitur, & crassescit. Contrariūq; cōtraria ratione, in humido iecore contingit. Cōpositorum intemperamentorū par ratio habetur: calidū enim ac siccū iecur, bilem flauam habet plurimā, sanguinē autē calidiorē, atq; sicciorē, pariter etiā & crassiorē, quā habeat tēperatū iecur. Nec obstat, quòd calor vim habens tenuādi, & rarefaciendi, potentius obfisterē debet siccitati incrassanti: quare ad tenuitātē potius hic sanguis deberet inclinare. Nō obstat (inquā) nā quāuis calor in ratione caloris attenuet, in ratione tñ caloris naturalis coquētis, incrassat: tñ quoniā humidū aqueū absūmit, tñ quoniā siccū humido pmiscet. Et ideo inter indicia iecoris calidi tā tñ, nec tenuis, nec crassi sanguinis fit mētio: idē enim calor, quæ calor tenuat, & quæ coquēs incrassat. Sed quare inter indicia iecoris calidi atq; sicci, parior sanguis nō numeratur: si siccū habuit pauciorē, & humidū nō habuit abūdantiorē? Dicendū, quòd calidū iecur, sanguinē habet paulo abundantiorē moderato, cuius tñ abundantiæ, ob exiguatē non fit mētio: siccū verò valde dimiuit sanguinē, eiusq; ob id mētio fit. Hæc duo intēperamenta, vbi iunguntur in iecore calido atq; sicco, sanguinē reddunt paulo pariorē moderato, plus enim imminuit siccitas, quā addat calor: cuius tñ paucitatis, ob exiguatē non fit mentio inter inditia calidi & sicci hepatis, in collatione ad tēperatū. In iecore autē, in quo iungūtur calor atq; humiditas, ingēs est sanguinis prouentus: vtraq; enim qualitas, sanguinē multiplicat. Et cōtra in iecore frigido atq; sicco, vtraq; imminuit ipsum, & melācholicū reddit. Humidū autē atq; frigidū, quāuis nec valde imminutū, nec abūdantē creet, ad pituitæ naturā accedentē gignit. Est etiā ætas ex constituentibus naturā, de humore non aliter, ac ea indicās. Pueritia, calidiorē, humidiorē, & tenuiorē gignit sanguinem: & quāuis gignat plurimū, habet tamen paucum: exhaurit enim multum, ob nutritionem & incrementū. Adolescentia mediocrem habet ipsum, tum quantitate, tum qualitate. Iuuetūs sanguinem reddit calidiorē

lidiorē, & sicciore, & flauam bilē abundantem. Consistentium ætas, atram bilē habet abundantiorē. 3. lib. Aphor. com. 30. autore Gal. Præsertim in iecore calido, aut calido & sicco, libro artis medicinalis de iecore. Bilem enim quæ efferbuit per totam iuuetam, excipit hæc ætas: & adhuc ipsa adurit: exiguum enim est, ex quo ad frigidiorē naturam cœpit permutari. Quæ sanè non de atra bile exacta, quæ terrā fermentat, & muscas abigit, sunt intelligēda. Hic enim humor, ut Galenus scribit libro de atra bile, nō nisi in ægris, & præternaturā affectis corporibus procreatur. Sed de altera leui, & naturali adustione, quæ in sanis fit: habetq; latitudinē naturalem, pro differentia temperamentorum: in calidioribus enim magis adusta, & minus in frigidioribus reperitur: sicut & altera, quæ in aegrotantibus reperitur, latitudinē etiam habet magnā adustionis & malignitatis. Assuetudo quoq; aceruandi humorē aliquem, ad naturam accitam, & particularē est referenda: & talem succum abundare mōstrat, quæ sepe aliàs assuevit congerere. Ad naturam etiam reducitur, robur corporis, aut imbecillitas: nam facultatis robur, consistit in qualitate temperamenti: tantumq; à robore remittit facultas, quantum ab ipsa natura labitur. Si ergo vires corporis validæ sunt, boni succi abundant, nec ingens cum robore iungitur cacochimia: contra verò contrarium. In victu autem videndum, an cruditas & crebrior, & maior, quā ex consuetudine præcesserit: an mali succi cibis copiose se impleuerint: an vinum pro antiquo mustum, pro tenui crassum, an aqua marina mīstum biberint: an etiam profusus à vino se, ad aquæ potionem transtulerint: nec semel bis ue in quolibet horū peccauerint, sed assiduè bonoq; tempore: & pro peccati ratione, humorem nobis cōijcere datur. Sic etiam humorem, ex vitæ industria dignoscimus: qui in otio degunt, ij pituitosum aceruare succum solent: quos multus labor, cura, atq; vigilia exercent, ij biliosum, vel melancholicum: illum æstate, hunc autūno gignunt. Quin etiam, an diuturni labores fuerint, inspiciendum est: quantò enim fuerint longiores, tantò sunt ad atram generandā bilem magis procliuēs. Morbi quoq; speciem inspiciere oportet: veluti quòd tertiana si ita cōtigerit, fit à flaua bile modū excedente: quartana ab atra: quotidiana à pituita: cancer ab atra bile: erysipelas à flaua: atq; singule aliæ morborum species. Huc referūtur pustulæ, ad cutē efflorescētēs, quæ Græci ἐξάνθημα vocant, nos appellamus rōchas. Ad morbos quoq; lassitudines referri possūt, quāquā sub neutra ad huc dispositione cōsistat, & morbos ipsos præenūciat. Tēsiua ex bono succo: vlcerosa ex prauo, calido, bilioso, & acri: phlegmonosa ex vtroq; proficiscitur, ut. 4. de tuē. vāletū. ad initiū, Gal. est autor. Symptomata quoq; morborū, humorē redundantē ostēdunt. Primo, ex qualitate in corpore mutata: quippe superantibus in corpore calidis succis, insolito caloris sensu vrgetur: frigoris verò, cum frigidi dominantur. Quod intelligas velim, si suam humores seruent naturam: nam aliter à pituita putrente fit febris: & à bile per corpus inæqualiter mota, rigor & algor. Iam albiores pituita superante, pallidiores bile abundante cernuntur: quod si meracior bilis sit, etiam planè flauiores: siquidem color à succo prouenit, non ex solidis animalis partibus

tibus, utique cum se succi in altum non receperunt. Accidit vero id illis, propter frigora, rigores, vel animi affectus, veluti timorem, vel ingentem tristitiam, vel incipientem verecundiam. Quorum nullum si adsit, nunquam se in altum recipient succi: aequae nec incutem violentius irruentes, hanc adurent unquam: nisi animus aliquo modo affectus sit, aut aestu immodico animal extrinsecus obsessum. Ergo vehementer commotis, aut iratis, aut in pudore veluti reciprocantibus se humoribus, inspicere colorem non oportet. At si nec ambientis violentia, calidi, frigidive, nec ullus animi affectus, cuiusmodi iam dictus est subsit: certissima succi animalis cognitio, ex colore datur. Tanquam igitur corpus, sicubi albius solito est effectum, pituitosum abundare succum indicat: sicubi pallidius, aut flavius, biliosum: ita sicubi ad rubicundius, quam pro natura est mutatum, sanguinis abundantiam subesse significat: sicubi ad nigrius, nigram superesse bilem ostendit. Videas praeterea, seu plumbi colorem, aliquando nonnullos habere. Rursus aliquando, seu mixturam esse albi liuidi: aliquando liuorem solum, sine albo consistere. Ergo eiusmodi colores, crudos dominari succos indicant: qui cum de genere sint pituitae, minus tamen humiditatis habent, quam ea quae publice vocatur pituita: plerumque vero huic, nec letor inest. Est autem indicium ex colore sumptum, in hominibus albioribus firmitus: in nigrioribus autem incertum: nigrioribus enim natura, et si nonnunquam sanguis in facie exuberet, non tamen euidenter, ut in albis apparet. 6. lib. Epid. par. 2. com. 18. autore Gal. Firmitus etiam est hoc indicium, in oculis et lingua; quam in alia aliqua corporis parte: lingua enim grandioribus venis praedita, et inmani substantia spongiam referens, alijs duris, densisque particulis, paratior est, ut serosos intra se humores admittat, ab illisque colores instar lanarum suscipiat, apud Gal. 6. lib. Epidem. par. 5. com. 14. Quin et humorum contentorum in venis sublingua color, facile translucet extra, tum ob raritatem ipsarum, tum quoniam in extrema iacet superficie, ut quotidiano experimento, in ijs qui ictero laborant deprehendimus. Oculi vero ob munditiam, ex crescente humore celerius tinguntur: et ob nitorem, alienum colorem latere non permittunt, eodem Galeno autore. 6. lib. Epidem. parte. 4. com. 27. Secundum genus symptomatum, exiens mutatum est: indicium humorum firmissimum, quoniam ipsi qui excernuntur humores, se ipsos pandunt, et noscedos exhibent. E quo rum genere est urina: cuiusmodi enim sanguis sit, qui in vasis continetur, ea plane ostendit: quando si is biliosus sit, serum quoque eius biliosum esse necesse est, idque pro utriusque bilis ratione: simili modo pituitosum, ubi is sit pituitosus. Ergo ubi crudus plane is est: utique tenuis, aquosaque urina cernitur, nihil nec quod fidat, nec quod pendeat in se habens. At ubi is concoctus est, haec in urina apparent: atque etiam nubeculae quaedam desuper tenues superstant, veluti quod in summo lacte colligitur (Graece *νεφω* dicitur) et quod in summo refrigerati iusculi concreuit. Quodsi turbida sit, qualis veterinorum visitur, crudis refertas venas indicat: non tamen cessare naturam, sed eos valenter concoquere. Si vero celeris separatio, crassi a liquido in ea cernitur, sitque quod subsidet album, leue, et aequale: iam iam superaturam eos omnes, naturam indi-

cat. Sin cum emingitur pura sit, protinus vero turbetur, iam crudi succi concoctionem, aggredi naturam docet. At si interposito tempore turbetur, non protinus, sed post, aggressuram insinuat. Verum omnium quae turbantur generalis nota esto, ipsius crassi a liquidiori separatio, aut prope, aut tarde facta, aut omnino nulla. Ergo si protinus fiat, et quod subsidet, sit album, leue, et aequale: superiorem longè naturam, succis quos concoquit ostendit. Sin bonum sit quod subsidet, sed quod post longius interpositum tempus colligatur, etiam naturam temporis spatio superaturam succos nunciat. Si vero vel omnino nulla separatio, vel id quod subsidet malum sit, imbecillitas naturae significatur: egetque ope aliqua, ad succos percoquendos. Sicuti vero urina, succorum: qui in vasis sunt qualitatem proditi: ita sudor eos qui per uniuersum animalis habitum apparent, ostendit: hic namque partim acidus est, partim salsus, partim veluti lutum, aut virus plane olet. Licet autem hoc ex strigili deprehendere cum lauantur: saepe namque amarus plane apparet, qualis utique morbo regio laborantibus emititur. Ob idque, egrotantem saepe iubemus gustare sudorem suum: id quod aliquando sua sponte accidere solet, dum ex fronte, et eius partibus, in os saepe delabitur. Eius vero dignotio, etiam citra gustum, facilis est ex solo colore, quippe pallidus pro eiusmodi bilis ratione apparet, nonnunquam flauus, et interdum ex pallido flauus *αποχρῆστος* Graeci dicunt: Sudores praeterea, sua quantitate indicia praebent: si enim plurimi prodeant, crassae partis quae relinquitur, habendam esse rationem in purgationibus significant. Qua certe ratione, qui ex Galica lue sudorificis curatur (Guaiaco inquam, aspera similitate quam *carzaparrilla* vocant, china, buxo, ligno aloë, aut unguento ex argento vivo) omnes hi per interualla, crassae partis quae relinquitur vacuatione opus habent, per pillulas foetidas, arthriticas, de hermodactilis, de rhubarbaro, et similibus. Ad hunc etiam modum, menstruae purgationes succos demonstrant, nam ut autor est Hipp. 1. lib. de morbis muliebribus, in muliere sana ruber procedit sanguis, velut a victima, et cito congelatur: serosus vero liquidior est, similis aquae in qua reces maceratae carnes fuerunt ablutae: biliosus, tenuis, pallidus, aut flauus: melancholicus, crassus, niger, et obscurus: atrabiliaris, niger et splendens: pituitosus, subalbidus et pelliculosus: purulentus, subalbidus, sine pelliculis, graue oleum, cum dolore et pulsatione ad pectinem, adeo ut contactum interdum non sustineat mulier. Exactam autem rationem experiundi, tradit eodem libro Hippocrates his verbis. Quali vero purgatione opus habeat, hoc modo cognoscit. Quum menses prodeunt, linteum complicatum palmi magnitudine, super tenuem cinerem expandito, deinde ut quae exeunt, super hoc defluat curato. Praestat autem duo esse lintea, utrumque seorsim, alterum diurnum, alterum nocturnum: et diurnum quidem postera die lauare oportet: nocturnum vero, ubi per diem ac noctem, super cinere situm fuit. In lotura vero considerare oportet, qualia nam sint lintea lota, ubi in sole fuerint siccata. Optimum tamen est in tenebricoso loco ea resiccare. Siquidem igitur pituita fuerit, quae concoctionem impedit, mucosa lintea erunt: si vero propter salsuginem, et bilem impeditur, fulua et sublimida. His igitur consideratis, et diligenti animaduersione



expensis, totum etiam corpus inspicio, an multa purgatione opus habeat, an secus: ita  
 ut ad colorē, et etatem, et robur, et anni tempus, et qua dieta utatur respicias.  
 Huc usque Hippocrates. Sputū quoque, mucus, deiectione, atque ea quae vomitu pelluntur,  
 ex eorū genere sunt, quae a corpore excernuntur, et humores redundantes pandunt.  
 In quibus omnibus illud obseruandum est, ne ab aliqua vi extranea emittantur:  
 nam si ob acrimoniam bilis, os venae aperiat, sanguis fluet, etiam si non abundet: eodem  
 modo, si aestuante corpore sanguis profuatur, non est id abundantis huius humoris indicium.  
 Sed si humor qui excernitur sit excretionis causa, tunc signum est, eundem sibi similem  
 in corpore vigere: qui tamen excretus qualis sit ostendit: bilem enim abundare in corpore  
 agnoscimus, si effusus sanguis, pallidior extiterit, et pituita si albior, et reliqua simili  
 modo. Tertium verò symptomatum genus, quod in actione vitata consistit, humores  
 declarat: sitis, fastidium, vigiliae, deliria, somnia ignis et incendij, inquietudines, oculorum  
 obtenebrationes, gustus amaritudines, bilem denunciant: sicut sanguine, somnolentia,  
 somnia sanguinis, et homicidij, et rerum rubearū, splendores oculorum, hilaritas, et in-  
 continentia risus, salua dulcis sine causa manifesta, sapor quoque vini in ore, ex sangui-  
 ne est, qui cepit corrumpi: ut inter Arabes retulit expertissimus Azarabius, capite de  
 Synocha. Ex quo factum putò, ut quidam non bibentes vinum, per morbos san-  
 guinis vinum appetant. Pituita verò si dulcis sit, et crudus pariter humor, somnolentus  
 facit, et pigros, famelicos acida, salsa siticulosos. Ex atra verò bile, maesti, et ama-  
 rulentis, et horribiles, et sitis expertes, ac salua referti. Caeterum non omnes cibum auer-  
 santur, sed et eorum aliqui fame consistantur, nimirum in quibus atra bilis qualitate  
 acidam superantem obtinet (id fieri cum maligna ea redditur solet) succus verò melan-  
 cholicus aciditate carens manifesta, nec rosonem, nec eiusmodi famem inducit, ut li-  
 bro de plenitudine ad finem, ediderit Galenus, et nos latius libro de Humoribus su-  
 mus interpretati.

Indicia praeterea, non exigua sumimus, ex euacuatione suppressa, aut mensurā, aut haemorrhoidum,  
 aut puris ab ulcere antiquo, et fistuloso: aut si balneum dimisit: aut si ex la-  
 bore ad otium se transtulit: aut si pharmaco, aut phlebotomia uti solitus, nec purgatur,  
 nec venam tundit: aut si membrum aliquod ipsi fuit amputatum. Tales enim humores con-  
 gestos esse intelligimus, quales antea vacuabantur: quod si ad partem per quam vacua-  
 bantur, impetum et designationem aliquam faciant, iam certius scimus eum humorem abire  
 dare, et naturam per loca solita exonerationem quaerere. Atque huc refertur signum san-  
 guinis abundantis, memoratum ab Auerro. 4. coll. cap. 10. quod is qui usus est phlebo-  
 thomia, sentit pruritus in loco phlebotomando. Huc quoque refertur, quod quotidie  
 experiuntur christiani, qui cum flagellis quadragesimalibus quotannis sanguinem fundant:  
 aduentante quadragesima, et pondus et pruritus, in parte flagellanda percipiunt.  
 Dictis sunt addenda indicia, ex similitudine unius corporis ad aliud. Nam si febres  
 ex bile vagantur, signum est quod febris de qua dubitas, biliosa sit. 2. cris. cap. de ter-  
 tiana, autore Gal. Si duos etiam homines eodem morbo deprehensos constituamus, et uno  
 moro

mortuo atque dissecto, uniuersum corpus, aut partem aliquam, maligno aut putrido hu-  
 more plenum inuenerimus, aptissime colligemus, eosdem in eisdem locis contineri humo-  
 res: nimirum quod similia ostendant similia. Si alios praeterea duos constituamus, eodem  
 morbo affectos, et eorum unus ex bilis a natura factae vacuatione, aut melius habeat,  
 aut sanus euadat, et interim dum vacuatio fit non laedatur, nec difficile tolleretur: cer-  
 to conijciemus, bilem in altero abundare, eamque a medico deijciendam fore, ut. 1. parte  
 Aphor. sent. 2. Hipp. monet.

Quas notas habeat naturalis prorsus sanguis. Et qua

ampla latitudine, a naturalissimo interdum recedit, et vi-  
 tiosus fiat. CAP. VIII.



Anguis naturalis, humor est consistentia mediocris. 2. lib. ad Glau-  
 conem, autore Gal. Tum ob materia, quoniam ex parte fit alimenti  
 pingui, et aerea: tum ob efficiens, quoniam a mediocri iocinoris calo-  
 re perficitur. 2. lib. de facult. nat. tum ratione finis, quoniam in nu-  
 tritionem humani corporis ordinatur, ex Auerro. 1. 1. et in natui ca-  
 lidi conseruationem libro de venae sectione apud Galenum, quae duo  
 mediocritatem requirunt. Colore est rubro, et qui ab arterijs erumpit, rubedinem ha-  
 bet magis flauescens. Adiacet autem sanguini haec rubedo, ut accidens proprium, et  
 inseparabile, nulli alteri conueniens succo, libro de tumoribus praeternatura. Sapor ve-  
 ro sanguinis dulcis est, et foetore caret, prima primi. Dulcedo enim acquiritur coctio-  
 ne, foetor autem calido extraneo attinet: quare in sanguinis generatione locum non ha-  
 bet. Qui ab his notis distat sanguis, a naturalissimo abscessit: et quantum ab istis rece-  
 dit, tantum accedit ad pessimum. Siquidem exiguus sit recessus, naturalis adhuc est: nam  
 apud Galenum, libro de cibis boni ac mali succi, plurima alimenta leguntur boni succi,  
 quae sanguinem gignunt crassum, aut glutinosum, aut subcrudum. Si magis vero recedit,  
 praeternaturam iam habetur sanguis. Quo casu, aut ad naturam gratiam et benignita-  
 tem redire potest sanguis (ut vinum quod postquam coalescere cepit emendatur) et hic lapsus  
 est exiguus: aut non potest eam correctionem recipere, perinde ac vinum quod iam coa-  
 cuit, et hoc vitium malum est, corruptelamque appellat Gal. 2. Aph. com. 17. Corrupte-  
 le autem ampla est latitudo, et tanta quandoque, ut venenum comprehendat. Venenum  
 enim in corpore posse generari, constat ex Gal. 3. lib. de locis, ubi epilepsiam ex aura ve-  
 nerosa in pedis pollice posita, agnoscit. Et per vteri suffocationes (quoniam totius cor-  
 poris, vterus est sentina) semen et sanguis menstruus, veneni naturam assumunt, et ve-  
 neni inferunt symptomata, apud Gal. 2. lib. de Semine, cap. 5. Et ventriculus ex va-  
 rijs et nondum edomitis alimentis, venena facit, quae quandoque vim habet deleteria,  
 et alias purgatricem, persimilem expurganti cataractico: ex qua colicam morbum nas-  
 ci credit serapio. 3. lib. practicae. Et febres pestilentes non aliunde, quam ex humoribus  
 procedunt venenatis. Quia et ex sanguine pessimo ac venenato, corpus quandoque nu-

triri constat: nam lepra & elephanto affecti, totum sanguinem vitiatum ac venenatum habentes, diutius nutriuntur & viuunt. Hinc phrenitidè ex venenatis humoribus ortam, tertioq; die interimentem, memorat Hippocrates. 3. lib. Epid. par. 3. sent. 75. in cuius enarratione, hæc quæ sequuntur verba scribit Galenus. Est verò eorum morborum, admiranda generatio, quò nam pacto in commodè valentes subito inuadat. Nempe non est periurde generationis subita causa, ac ipsorum est generatio: vt si medicamentum homo lethale sumpisset, vel bestia eum virulenta momordisset: sed perdetentim in corpore, cause quæ sunt excitandis huiuscemodi malis crescunt: quod morsus vsu venit à rabidis canibus. Nam apertum est, quod canis venenum (licet in morsis non otietur, nec couquiescat) nullam sui ipsius notam prodit, multis interrim proximis mensibus. Verum subito illis cum viderint aquam, formido incessit, posteaque breui moriuntur: longo enim tempore causa quæ rabiem efficit, augeatur: quæ vbi eò tandem peruenerit, mortem adfert repentinam. Item in hac phrenitide, vitiosus in corpore humor coaceruatus fuit, veneno lethali prope adsimilis, in corporibus vicinis aliquid paulatim agens: quæ quando vitio iam opportuna erant, humorque ipse euaserat vitiosissimus, lethale repente apparuit symptoma. Nanque sic phreniticus initio statim vomuit virulenta, quòd febribus adurentibus, serè est consequens. Itaque vt veneno epoto lethali, quidam postridie vel tertio die moriuntur genere eorum non copia mortem afferente: & item hic quoque eger, statim tertio die censendus est obysse, à qualitate succorum virulentorum, non à phrenitide peremptus: at phrenitis illum esse subsequuta symptomatis vice. Ecquidem quarto die, & quinto, acuta à primo statim correptos phrenitide, vidi exanimatos esse, tertio non vidi: sic nec vigesimum diem attigisse. Quare hunc videtur Hippocrates, vt velocissime peremptum, ob oculos nobis proponere. Hæc Galenus. Quibus, quantum humores nostri corporis, vituari, & venenari possint, abundè docuit. Quod enim tam prauus humor, in nostro interdum corpore paulatim gigni possit, vt repente postea interimat, præter ea quæ nuper citauimus, scripsit idè Gal. 2. lib. Prorrh. com. 17. Vbi duos egros memorat, qui non valde malè videbantur habere: & ob huiusmodi prauos & venenatos humores, intra septè dies interierunt. Galeni verba sunt quæ sequuntur. Nò est igitur absurdum, vt vitalis in corpore progenitus sit humor, qualis est & rabiētium canum, & tractu tēporis longiore, corrūpentium medicamentorum: ita vt plerosq; medicos lateat. Quomodo in eo qui ob lassitudinē, vt videbatur maximè modicam februit, qui post quartū diē, vrinā secreuit substantia quidē tenuē, sed colōre nigrā, vt in vtroq; eam quæ ex pauco atramento scriptorio aquæ multæ dilutō cōsurgit, misturā representaret. Atq; modo alio, si nō atramentū ipsum dilutū intellexerimus, certè eam quæ à multis appellatur fuliginem. Visus est eger hic quarto die bene habere, ita vt sequētibus diebus lauaret: deinde die septimo vespere, cum febrē cōpisset tabefactus obyt. & cetera. Quibus Galeni testimonijs, constat primo, quòd humores in nostro corpore adeo vitiantur, vt venenum quandoque fiant. Secundo, quòd huiusmodi humores

humores venenati, nos ipsos interimunt, si morbus est ex natura lethalium, citius quàm interimeret morbus idem, ex humoribus non venenatis ortus: vt in phrenitide citata è tertio Epidemiarum, quæ tertio die interemit. In morbo etiam salubri, mortis causa est hic humor: vt in eo qui lassitudine laborat. 2. lib. Prorrh. citato contigit: & in alijs multis nostra ætate agris, qui per doctos medicos curati, è tertiana, & morbis alijs citra periculum mortui fuerunt. Inter quos nunc dum hæc scribimus satis aduerso fato, decessit excellentissima & christianissima dña Eleonora de Guzmā, Dux de Ossuna, ex duplici tertiana in meliorem iam statum versa, in qua nihil sinistra docti medici suspicabantur. Repente etiam hi humores, nos sanos interimere possunt: quod in peste fieri interdū videmus. Plurimi enim solita negocia agentes, de nullo morbo conquesti, repēte intereunt, sola aura venenosa humores nostros, & nos ipsos tam citò venenante, & interficiente, vt mors morbum præuenire videatur: aut quia humores hi venenati, tota substantia potius, quàm manifestis qualitatibus agunt, & ob id insensiliter alterant, donec alteratio adeo creuit, vt subito interimere possit: aut quoniam in ignobili membro, humores illi paulatim congesti, & assueti, non lædunt donec ad eam magnitudinem peruenerint, vt vim expultricem excitent, & ad nobile membrum eos subito transferat irritata. Vbi multitudine, prauitate, & dissuetudine, mortis causa sunt. Quauis autem omnes humores venenari contingat, sanguini inter alios id maxime conuenit: præsertim si extra venas sit effusus, & in grumū, ventriculo, intestinis, thorace, aut vesica insidentem vertatur. Animi enim defectio, & pallor ex ipso sequi solet: pulsus paruus, obscurus, & frequens apparet: & laboras ipse cum anxietate resoluitur. Quod etiam in magnis musculorum vulneribus, ob grumos ibi concrecentes accidit: & in ijs etiam qui ab alto ceciderunt, quauis vulnus nullum fuerit in ipsis sequutum. Sanguis enim extra vasa, vndique tunc per carnes egreditur vt monstrat (in tauris ac bobus, qui aut in theatro, aut quomodolibet agitantur) color carniū nigricans, & ipsarum pondus auctum. Hinc y qui ab alto ceciderunt, cursim longum confecerunt iter, aut lucta certantes dimicarunt, in pessimas ægri tudines incidere assolent: nisi vena tusa, & puluere cōtra casum, ipsas antequam fiant præcaueamus. Venæ sectio enim, sanguinem extra vasa, ad carnes & corporis vacuitates ferri prohibet. Puluis verò contra casum sanguinis portionem, quæ extra venas fusa est, virtute rhabarbari emūdat, simul & viscera, atq; vasa stringit & vnit. Hinc in capitis vulneribus, sanguis ex cerebri, aut menyngum venula rupta, quauis primis diebus ob familiaritatem, nullum effatu dignum inferat symptoma: ad septimū tamen in ætate, & vsq; ad quartūdecimū in hyeme, rigores & conuulsiones affert incompscibiles, cerebro ad putridi sanguinis irritamentū commoto, vnde & vniuersum etiam corpus quatitur, & inuitabilis mors sequitur. Quare autē sanguinem, tam praua sequantur accidentia, tamq; venenatum is assumat naturā (cū omnium quæ in nostro corpore sunt, maxime nobis sit familiaris) miratur Gal. 6. lib. de locis, cap. 4. Cuius euentus causam reddere, putat Isaac, quòd sicut pater valde indignatur




tur filio pessimè agente, ita natura sanguini cum vitari caput. Quæ tamen ratio rhetorica, est nihil docens: nec ob id in scientijs admittenda. Dicunt alij, quòd sanguis mutatur ab optimo in pessimum: quoniam omnis mutatio est e contrario in contrarium. Còtra verò est, quòd in nigrius ea ratione còmutaretur albū, quàm ceruleum, aut viride. Dicendū ergo, quòd quòd quidpiā perfectius est, eò pluri indiget apparatu, & dispositione ad sui conseruationem: vt homo inter animalia, qui infinitis ob id egreditur vexatur, quoniam raro omnia sibi necessaria, in vnū conueniunt. Interiēs autem pessimè putret: quoniā anima & apparatus vitæ, magis necessarij erant, ad seruandam eam còpositionem, quàm alterius imperfectioris animantis. Semen quoq; lac & oua, quæ vltimā còctionem, & perfectionē sunt adepti, deterius ea ratione putret. Sic ergo & sanguis (aliorum humorū còparatione) extra vasa delatus, pessimè omnium putret: & febres malignas, ac terribilia symptomata infert. Bilis verò vtraq; tam in vesica fellea, & liene acervata, quā per carnes sparsa in arquat: sicut & pituita in ventriculo, capite, & articulis podagricorū diutius còtenta, seruatur incorrupta. Intra vasa verò sanguis, quoniam naturalissimè locatur, cuius etiam summā ibi curā tenet natura, mitius reliquis omnibus putrescit: & quauis magnam excitet flammam ex multitudie defluxus ortam (quoniā calidus atq; humidus est, & propterea aptius, vt in balitum digeratur, & plurimum manui tangentis offerat calorem) mitis tamen est, & minimè mordax eius calor qualitatis: contra ac ex bile putrescente consurgit, ex qua minor defluxus, & ingens acrimonia tactum ferit. Ob id eæ tantū febres, quæ ex bile sunt, ardentis aut vrentes, propriissimè appellantur: quæ ex sanguine verò non sic, sed calidissimæ, ob febrilis caloris copiam. Fit tamen interdum, vt ardentissimum, pro calidissimo accipiat Galenus: quòd fecit. 1. lib. Aph. com. 23. quò loco vtròq; est vsus vocabulo: modò ardentissimas, modò calidissimas febres appellans, eas in quibus sanguinis ad syncopim detractio còducit. Simul autē stat, si proprietates vocabulorum seruetur, calidissimas esse & mitissimas: quòd enim febris sanguinis intra vasa putrentis, mitior quā ex alijs humoribus sit, docuit Gal. 2. lib. de febrium differentijs, cap. 9. & ratio, quoniam ex miti humore qualis est sanguis, mitis & mulcebris vapor effluit. Quin addit Galenus, quòd febres ex humoribus e sanguine genitis mitiores sunt, tum in caloris qualitate, tum etiā in reliquis symptomatibus: quā febres ex eisdem humoribus, aliter quàm e sanguine creatis. Hinc constat decèptum fuisse Valeriolam, qui febrem sanguinis putrentis, deteriore, & acutiorem esse, quàm quæ ex bile excitatur autumat. Quod sanè verum est, si vterq; humor extra vasa putreat, quoniā deteriori tunc sanguis occupatur putredine: extra venas enim innaturalissimè locatus, à naturæ regimine prorsus destituitur: & calore atq; humiditate qua pollet, opportunissimus putredini se exhibet. Intra vasa verò, sanguinis ingentem curā gerit natura, ita vt mitius semper putreat: præter quā quòd sue qualitates semper sunt mitiores, quòd plurimum facit ad febris simplicitatem. Deceptit ipsum Galeni locus, e capite sexto, secūdi libri de Crisibus, vbi ita scriptum legitur. Continuum quidem nomen febrem

febrem quæ ad infabricitationem, ante quàm ex toto soluatur non desinit, & si declinatio aliqua sensibilis appareat. Cum verò neque declinatio aliqua sensibilis fiat, semper verò à primo principio febris; vsque ad crism similibus perseuerauerit, erit & hæc ex genere febrium deurentium: ab eisdem verò acutie differt. Quibus verbis, existimat febrem sanguinis, biliosa comparari, esseque acutiorem ipsa: quoniam cum aliquid dicitur ab alio re quapiam differre, ratio differentie dicitur inesse illi quod cum alio confertur, & non ei cum quo collatio fit. Quare tantumdem refert, quòd de febre sanguinis dicat Galenus, quòd differt acutie à deurente: ac si dixisset, febrem sanguinis deurentem esse acutiorem. Valerius verò, lib. 5. controuer. cap. 22. similiter ac Valeriola, locum hunc Galeni de febre sanguinis intelligit: & amphibologicum sensum habere contendit, ex alijs Galeni locis interpretandum. Decipitur tamen vterq; nam Galenus nullam ibi de febre sanguinis mentionem habuit, sed de duabus febribus biliosis ambabus: quod verba statim sequentia declarant, quæ ita habent. Sed neq; in primo die, neq; in secundo, est huiusmodi febrē prænosceri, neq; aliter vtile. Sufficit enim genus agnoscere, quòd scilicet biliosa sit, atq; deurens, & peracuta. Quibus Galeni verbis patet, quòd vtraq; febris ex còparatis sit biliosa: et ob id ante diem tertium non potest dignosci, quoniā qualitate caloris mordaci conueniunt. Tertio verò die dignoscuntur, quoniā vna apertam habet declinationem: alia verò continuum feruorem seruat. Nec vtilis admodū ante diem tertium fuit huiusmodi dignotio, quoniā febris vtriusq; genus innotuit, quòd nimirum biliosa sunt ambæ: quare aduersus bilem abundantem, & putrentem, præsidia parantur. Nam si vt intelligūt, ex illis duabus febribus, vna est biliosa, sanguinea altera: quomodo primo, & secundo die, non dignoscuntur ex qualitate caloris, & alijs indicijs? quomodo item vno genere biliosi comprehenduntur? qui etiam fieri potest, vt primo, & secundo die, non sit vtilis dignotio febris sanguinis, quæ venæ sectione non procrastinata venit curanda. Accedit etiam quòd. 2. lib. de diff. febrium, cap. 2. Continuarum (inquit) quæ ex flaua bile proueniūt, duplex est species: altera earum quæ à continuo feruore synochæ appellantur, quarū vniuersum tempus, in vna consumitur accessione, quæ a principio vsq; ad finem pertingit: altera earum, quæ idem cum genere nomen sortiuntur, & continua appellantur, atq; in pluribus circuitibus continentur. Hæc Galenus. Quæ nunc per transcursum dicta sint, donec de febribus sermo incidat, vbi opportunius tractabuntur.

¶ Libri de plenitudine & cacochimia, finis.

PETRI DE PERAMATO, DE VA-  
cuandi ratione, per sanguinis missionem,  
liber utilissimus.


PRÆFATIO.



**V**LTA naturalis medicinae partis, eaque præcipua nos voca-  
bant, in quibus versandis & euoluendis, ingens accedebat, præter  
utilitatē voluptas: quæ præcipuè in cognitione causarū posita est.  
Hæc animum ita suspēdebat meum, ut magna mihi vi eniti ut ab  
eis diuerterem, & anxia itē quadā amicorum efflagitatione, quæ  
nos ab ipsis reuocauit, fuerit opus. Atq; iā inuitant me, præter ami-  
ciciā, rei ipsius utilitas maior, & conscientia nostræ (quàm optamus) securitas. Nam  
cum ex ægrotantium, qui nobis committuntur pecunia viuamus: nec nobis eam lar-  
giantur, nisi ut à morbis sanentur, sit merito ut magis iam occupemur, in ea medicinae  
parte, quæ morbos curat & auertit, quàm in contemplationibus, quæ longè ab opere  
distant. Nec multum interest, si in numero temperamentorum erres, si simplex detur  
intemperantia, si detur temperatura æqualis, si duo corpora temperatissima eodē tem-  
poris momēto creati possint, si detur spiritus naturalis, et quibusdā similibus quæ pars  
contemplatoria tractat. Nam in quocumq; istorum erres, tibi soli illudes: & in re non  
tanti momenti eris deceptus. Erratum verò, quod in ea medicinae parte, quæ morbos  
curare docet committitur: valde est periculosum. Nullibi autē peccatur grauius, quàm  
vbi de euacuatione hac, aut illa, obediēda aut prætermittēda tractatur. Quæ certè cau-  
sa est, quòd post integram humorum in corpore redundantium traditam dignotionem,  
de eorundem vacuandi ratione scribam. Sciant ergo detractores (plures enim hu-  
iusmodi esse futuros, certò certius videmus) nos conscios ordinem inuertisse.

Quod corpus ut sanum sit, humorum poscat me-  
diocritatem, non excessum quantitatis, aut qualitatis. Et  
an nostris temporibus, sit crebra vacuatione vtendum.

CAP. I.



**V**OD in corpore sano, quod & rectè valet, & firmum est, iustā  
quandam quantitatis mensuram, non excedant humores, sit manife-  
stum. Primo, ex experimento, nam qui simpliciter bonus habitus  
nominatur, quem plurimi agricolæ habent in fodienda terra, meten-  
dis segetibus, & alijs ruralibus laboribus occupati, ad immodicā re-  
pletionem nunquam assurgit, 1. lib. Aphor. com. 3. autore Galeno.  
Secundo, quoniam ad bonum habitum simpliciter, non sufficit virium robur, nec hu-  
morum integritas, nisi ipsi accedat securitas, ut libro de bono corporis habitu, Gale-  
nus est autor: qui verò ad immodicam repletionē venit, plurimis expositus est peri-  
culis,

de vacuandi ratione.

culis, internarum (inquam) venarum crepatur, & extinctioni calidi innati: & ob  
id Hippocrates, eum habitū qui ad immodicam repletionem venit, quantumuis hu-  
mores inculpatos habeat, non appellauit bonum habitum simpliciter, sed cum addi-  
tione bonum habitum athletarum. Athletarum (inquam) non ut Leoniceus ver-  
tit exercitatorum: nam exercitati bonum habitum simpliciter habent, citra additio-  
nem vllam, ut quinto libro de Sanitate tuenda, Galenus est autor: & de fossoribus,  
messoribus, & ruralibus laboribus occupatis, nuper ex Galeno retulimus. Quòd vo-  
rò non solius quantitatis humorum, sed etiam qualitatis ipsorum mediocritatem  
quandam, requirāt corpora sana, manifestum facit Hippocrates per ea verba. Si ta-  
lia purgentur, qualia purgari oportet. Vbi non de quantitate eorum quæ vacuan-  
tur sermo ipsi est (ut nonnulli sunt arbitrati) sed de qualitate tantum: ut manifestāt  
duo illa verba, Qualia & Qualis. Nam si de quātitate ipsi sermo esset, potuisset di-  
cere: Si quantum purgari oportet purgetur. Et rursus: Si tanta fiat quanta fieri de-  
bet. Hoc idem ostenditur & ex verbo Purgari: neq; enim simpliciter dixit, si qua-  
lia oportet euacuari, sed si qualia oportet purgari. Est auem purgatio, humorum  
qui sua qualitate molestant euacuatio: quare & ex verbo Purgari, etiam constat  
de peccato humorum per qualitatem fuisse loquutum. Et ex cōsequenti, corpus quod  
sanum est futurum, humorum poscit mediocritatem, tum quantitatis, tum qualita-  
tis, cum latitudine quæ contrarijs temperamentis debetur: nam sanguinei abundan-  
tiores, melancholici pauciores & sicciore postulant humores, biliosi calidiores op-  
tant & tenuiores quam pituitosi, temperati omnia habent mediocria: omnes verò  
integros, & minimè aut corruptos, aut extraria qualitate affectos, desiderāt. Quòd  
si occasione aliqua, aut plures, aut pauciores insint humores, quàm corporis natura  
postulet: aut intemperie, aut corruptione aliqua tangantur: iam aut ægrotat homo,  
aut ipsi impendet ægrotandi periculum. Quanquam verò morbos hæc omnia pa-  
rere possint: frequentiores gignit redundantia, & corruptio: pauciores verò defe-  
ctus. Etiam si nonnullis videatur (ut refert Galenus, lib. 2. Aphor. com. 22.) nun-  
quam fieri ab euacuatione morbum. Sanguis tamen cum supra modum, aut ex vte-  
ro muliebri, aut ex venis quæ hæmorrhoides appellantur, aut ex vlcere fluxerit:  
tunc vel omnes, vel plurimas operationes, ij qui ita affecti sunt, offensas, habēt. Nō  
nulli verò ipsorum non modò hæc patiuntur, verum etiam aqua intercutem corri-  
piuntur. Longè quoq; inedia, ijs qui calorē habent ad igneam naturam propensiorē,  
præter alia mala insuper afferunt febrē. Parit ergo morbos humorū defectus, pau-  
ciores tamen atq; rariores, abundantia verò plures & frequentiores. Nostro præ-  
sertim æuo, adeo gulæ & otio dedito, ut albo cigno similis censeatur, qui se à super-  
fluo atq; inordinato victu tēperet. Quare nō essent à Fuchsio & Cardano, tā acri-  
ter reprehendendi nostri tēporis medici, omnes ferè ægros purgantes. Primo quoniā  
victus frequentissima intēperantia, frequentiore postulat vacuationē. Secūdo, quoniā  
rari sunt morbi ex inanitione orti, fallitur enim in suis Aphorismis Damascenus,

cum dixit non pauciores morbos ex inanitione, quam ex repletionem creari. Accedit tertio, quod ex nimia vacuatione saepe nascitur morbus materialis, qui purgationem desiderat: ut aqua intercus ex larga sanguinis effusione, commentario citato auctore Galeno. Et ut refert Auicenna. 4. i. cap. 20: ex copiosa sanguinis missione vires imbecilliores redditae, multos humores vitiosos gignunt, qui purgationem statim petunt. Adde quarto, quod per euacuacionem boni humoris, & bonae atq; ingenitae substantiae detractionem, interdum manifestatur actio praua: qui antea a bono coerctus non ledebat, bono vero vacuato effrenis redditur, & si frigidus est incrudatur, si calidus vero ebullit, & efferuescit: quare purganti medicamento opus habet. His etiam accedit ex euentu testimonium: nam sic curati, si curationem tamen admittant, aut sanantur, aut in melius pertrahuntur: ut quotidiano medentium experimento constat.

### ¶ Cui morbo facilius succurratur, orto ne

ex inanitione, an humoralis.

C A P. II.



**O**RBI S ex inanitione, nutritione succurrimus, sicuti morbis ex redundantia vacuatione. Contrariorum enim contraria semper remedia sunt idonea, ut 2. lib. Aphorism. comment. 22. memoriae mandauit Hippocrates. Impar tamen est labor, nam cum natura quae morborum est medicatrix, in morbo ex inanitione sit imbecillior, & opere indigeat difficillimo, multa scilicet appositione alimentum: difficilius succurrimus morbo ex inanitione, quam ex humoris abundantia orto. Neq; obstat, quod in humoralis plura sint abigenda, morbus scilicet, & humor qui est morbi causa: in eo vero qui ex inanitione, solus morbus sit profligandus: nam validior natura, facilius duos hostes deuincet, quam si non valeat vnicum. Humore praeterea sublato, aufertur statim & morbus, secundo Aphorismorum citato: quare cum vno tantum hoste bellum est ineundum in morbo humoralis. Sed demus (gratia exempli) facultatem utrobique esse parem: nonne minori labore natura, noxium humorem e corpore deturbabit, quam multum sibi apponat alimentum? Equidem arbitror: nam excrementa & humores quae natura commutare nequit, ipsa solet excernere: quoniam hoc facilius, quam illud obit. Accedit, quod excretionis opera facilius iuuantur a medico venae sectione, expurganti medicamento, ac alijs: quam opera nutritionis possint auxilijs ad id aptis promoueri. Quae vero auxilia nutritionem promoueat, & morbis ex inanitione opitulentur, non est praesentis commentationis mentum: nunc enim morbo ex humore orto mederi est

Quod

### ¶ Quod humor noxius sit vacuandus. Et quibus

indicijs dignoscemus, quando vacuatur noxius, & quando utilis. C A P. III.



**O**RBO ex humore orto, succurrimus vacuatione eius humoris, a quo morbus ipse proficiscitur. Sic enim natura dum recte operatur facit: in morbo bilioso bilem vacuat, in pituoso pituitam, & in alijs morbis reliquas humorum differentias simili modo. Vnde considerare iubet Hippocrates in singulis morbis, singulas naturae vacuationes: ut ab ipsa natura edocti, tales nos vacuemus humores, quales ipsa vacuaret natura. Quoniam vero rerum similitudines (ut ex Hippocrate retulit Gal. com. 2. quartae partis Aphorism.) non solum vulgares, sed etiam medicos eruditos aliquando decipiunt, ne in hac similitudine decipiamur putantes, quod nos vacuamus humores similes, atq; tales quales natura vacuaret: duo nobis Hippocrates dedit indicia bonarum euacuacionum, conferentiam (inquam) & tolerantiae facilitatem, ut & in his fiduciam habeamus cum recte fecerimus euacuacionem. Neq; enim idem esse putamus vacuationem conferre, & facile ferri, ut quidam mentiuntur, decepti forte quoniam haec duo saepe coniuncta reperiuntur. Sunt autem diuersa indicia, & diuersimode expendenda. Primo quoniam tolerantia facilis, aut difficilis, consideratur magis in ipsa vacuatione dum fit: conferentia vero, post peractam vacuationem. Atq; bene toleratur, vacuatio ea, quae interea dum fit, grauius aliqua non affert symptomata: quae postquam fuerit peracta, si vniuersum morbum, aut eius insignem aliquam partem ademerit, contulisse dicetur. Secundo, quoniam etiam si saepe haec duo coniungantur, seorsum tamen interdum reperiuntur: nam per venam sectam plurimo sanguine vacuato, a deo facile fertur sanguinis detractio, ut symptomata omnia quandoque anticipet, aut mors, aut animi defectio. Frigida in aestuosissima febre ante coctionem suauissimè bibit, & morbum crudiores reddit. Plurima quoque alia, suauiter & sine symptomatibus aguntur, & insumuntur, quae maxime incommodant salutem. Contra vero perniciosi humoris vacuatio confert saepissime, difficile tamen fertur. Neq; enim fieri potest, quin perniciosus humor dum vacuatur, & in corpore mouetur, grauisima adferat symptomata. Quod sane atrae bilis exemplo manifestum fit: haec enim Galeno auctore, libro de Atra bile, semper excernitur lethaler, id est cum grauibus symptomatibus, quae aegrum exponunt, graui vitae discrimini: quare semper atrae bilis excretio, difficile toleratur: confert tamen interdum, & morbum adimit, quotiens fit coctionis signis praesentibus. Ut quarto libro Aphorismorum, commentario vigesimo secundo, Gal. est autor. Multae praeterea sunt purgationes, quae per fas, aut nefas, morbum ipsum, hoc est morbi materiam tollunt ante coctionem: ubi praua symptomata, vellicationes, tormina, debilitates, & animi

Et 2 interdum



interdum defectus necesse est adesse, atq; omnino facile tolerari huiusmodi vacuatio non potest. Sic incipientes quartanas acri medicamento purgantes quidam, quartanas ipsas penitus sustulerunt, & ab errore purgandi, recta atq; felicem sunt consequuti curationem. 1. fen. quarti libri, capite de cura quartanae, autore Auicenna. Oportet ergo naturae opera inspicere, ut tales nos humores vacuemus, quales ipsa vacuaret: & ne in hac similitudine decipiamur, duo alia indicia sunt annexenda. Oportet quoque regionem, & tempus, etatem, & morbos, & reliqua etiam indicia addere, quae nos cap. 37. & 42. libri de humoribus, latius sumus prosequuti, ne nos quouis modo humor vacuandus fugiat. Neq; enim sufficere possunt sola conferentia & tolerantia. Primo, quoniam haec non tam indicant de pharmaco exhibendo: quam de exhibitio, aut erroris, aut recti iudicij testimonium ferant. Secundo, quoniam non sola vacuatio eius humoris qui morbum infert, sed alterius etiam cuiusq; conferre quandoq; solet, cum scilicet humores pra multitudine fuerint conculcati, & plurimum obstructi. Quouis enim humore vacuato, amplior locus datur reliquis, atq; ea vacuatio ob id conferre videtur, quonia minori concalcatione quam ante tenentur humores: cum tamen vera ea non sit conferentia, sed tantum apparatus. Quod voluit Auicenna 1. 3. cap. 21. de cura melancholica, in haec verba: Non ergo seducat te iuuamentum quorundam, propter phlegma quod ipsi euacuant vomendo, aut egerendo: nam illud non est propter euacuationem phlegmatis iuuantem ipsos: imo quoniam multitudo & oppressio, seu conculcatio, humorum adiuicem remouetur ab eis: Verum iuuamentum essentialiter est euacuatio calera nigra. Rudi sane, & barbara hac oratione, elegantem nobis tradidit sententiam Auicenna: qua docemur, quod peccans humor, semper est uacuandus, non alter: etiam si ex alterius vacuatione, melius quandoque videantur habere egrotantes. Vera enim morbi in melius mutatio, ex eius solius vacuatione pendet.

**Multae differentiae expenduntur, quibus frequenter genus vacuationis partiuntur medici.**

### CAP. IIII.



**V**acuando humori qui morborum est causa, plura ingenia excogitauit ars medica, ab ipsa natura docta, cuius ipsa est ministra. Nam cum febres continentes, pleuritides, phrenitides, anginas, iecoris, aut lienis inflammationes, iudicare saepe soleat natura, per sanguinis e naribus fluorem, vterorū purgationem, aut per vocatas haemorrhoidas: naturae imitatione didicit ars venā tundere in similibus morbis, & perinde ac ipsa hominem sanat. Causos vero, febres tertianas, & erysipelata, spōtina deiectione, aut bilis vomitione, prorsus adimi cum aduertissent homines diligentes, cholagogis pharmacis uti coeperunt, melagogis in febre quartana, & pituitam purgantibus, in morbis a pituita natis. Sic sudorifica medicamenta,

menses

menses & vrinā cientia, sputum promouentia, ventrem emollientia, & huiusmodi alia, summo studio quaesuit ars: quod videret quosdam hac, quosdam illa vacuatione sanari. Haec curiosius contemplantes, & manum operi admouentes medici, amplam de euacuatione inuenerunt doctrinam: & regulas innumeras in euacuatione obeunda obseruarunt: quas qui intellexerit, maximam ac valde fructuosam, per obscuram tamen, & maximè inuolutam artis partem, erit consequutus. Atq; in huiusmodi contemplatione, primo nobis occurrunt diuersae vacuationum species. Nam vacuationem multifariam partiuntur medici, sumuntq; eius differentias, interdum ab efficiente, aliàs ab euacuationis mensura, ab vtilitate quae sequitur animali ex euacuatione, a materia quae euacuatur, ab ipsius materiae & corporis apparatu atq; dispositione, a loco a quo fit vacuatio, a distantia loci per quē fit vacuatio, a parte agra, a malo quod per vacuationē abigitur, & a dignitate partis per quā fit euacuatio. Atq; ut singulas referamus, diuiditur vacuatio in spontaneam & arte factam, a faciente vacuationem, sumptis differentijs. 1. libro Aphor. com. 2. Mensuram verò respicit, diuisio vacuationis in minoratiuam & erradicationem, ex Gal. 2. lib. Aphorism. comment. 29. Sectio quoque altera, in mediocrem & immodicam, mensuram vacuationis notat. Dicitur autem immodica tripliciter: primo quae ad syncopim ducit: secundo larga profusio, quae immodicae plenitudini proportionem respondet, & haec duo quandoque conducunt: tertio quae vires corporis excedit, & haec nunquam est ex usu. Ab vtilitate autem diuiditur euacuatio, in naturalem & symptomaticam: si nulla enim actione lesa contingat, & virium perstet robur, & in summa cum providentia de animalis salute fiat, est naturalis: contraria verò symptomatica & praeter naturā, libro de differentijs symptomatum, in fine, autore Galeno. Symptomaticam autem euacuationē dupliciter audire oportet. Primo eā quae fit a natura irritata, cū ob morbi vehementiā, suum ordinem peruertit: ut cum humor expellitur ante coctionem. Secundo, quae a solo morbo fit, nihil operante natura: ut pingue cum vrinis excretum, & contenta oleacea, fursuracea, foliacea, & orobina, ob calorem assantem. 2. prognost. capite de vrinā: & sudor multus a vi conuulsionis expulsus, primo Epidem. parte. 2. com. 26. fit etiam cum ob multitudinem quae contineri non potuit aliquid excernitur, non a facultate expultrice, sed a defectu concentricis: ut si nolentes illachriment, aut pituita appareat circa obtutum; primo libro prognosticorum, commentario decimo: & libro quarto Aphorismor. comment. 52. autore Galeno. A materia verò quae vacuatur, sumuntur vacuationis differentiae: nam quaedam omnes aequaliter vacuat humores, id est a nullo abstinet, sed quiduis obuium simultaneè educit: alia humorem, aut unū, aut duo eligit. Primi generis sunt venae sectio, scarificatio, hirudinum, & cucurbitularum admotio, frictio, balneum, exercitium, estus, inedia, & huiusmodi alia quae omnes succos exhauriunt. Secundo genere sola pharmacia continetur, quae unum aut duos eligit humores. Nam quae aquam in superpurgationibus,

omnes vi pharmaci ferantur, nō simultaneè, sed tractu temporis fit: reſeratis oſculis venarum, quæ ad inteſtina pertinet, vt. 3. lib. ſimplicium, capite vltimo, Galenus eſt autor. Amateria verò vacuandæ diſpoſitione, dicitur vacuatio quædã regularis alia coacta: nam tanta eſt quandoq; vacuandi neceſſitas, vt præcipuè quædam regula artis, quæ vacuationem impediunt frãgantur. Exẽplum eſto, quòd ex artis regula, non eſt ſanguis mittendus, ſi cruditas aliqua ſit in primis venis, donec aut coquatur aut vacuetur: ſi quiſpiam tñ angina præfocaretur, aut lateris dolore ingenti cruciaretur, cruditate poſt habita, illico ſanguis eſt iſſis detrahẽdus. Ante coctiõnẽ quoque, & corporis præparationẽ, non eſt vtendũ expurganti medicamento: ſi tñ humor membrũ princeps obſederit (vt in aploplexia) neceſſitate coacti purgamus. Neq; id tamen ſine regula facimus, ſed ab alia præſtantiõri cogimur: quæ docet nos, ei quòd magis vrget, quòdq; maius periculũ eſt adlaturũ ſubuenire. A loco præterea, à quo humor decedit, ſumitur diuiſio vacuationis, in vniuerſalem & particulã. Vniuerſalis eſt, quæ vniuerſum corpus euacuat: ex quo genere eſt venæ ſectio, & ſanguinis miſſio quæcunq; , & quouis modo facta. 4. Aphor. com. 2. autore Gal. Nec obſtat, quòd. 6. Epid. parte. 2. com. 9. apud Galenum, ſectio venæ frontis, ſit auxiliũ locale: ita enim appellatur, quoniam caput magis vacuat quàm totum: & quoniam ante vacuationem, ex venis maioribus, atq; diſtantiõribus, non licet eam venam incidere. Expurgatio præterea, quæ medicamento ſolvente fit, ab vniuerſo corpore humores abducit: quanquam fiat etiam interdum, vt certa medicamenta ſoluentia, partes corporis certas magis reſpiciant. Colchicum quòd hermodactilũ vocant, crãſſam pituitam à iuncturis magis, quàm à reliquo adimit corpore, & eſt medicamen maxime conueniens omni morbo articulari, chiragra, podagra, dolori coxendicis, ac reliquorum etiam articularum. Agaricus, & iris purgant thoracem, & pulmones, à viſcidis, & putridis humoribus: quòd paucis medicamẽtis eſt conceſſum. Colocynthidis humores viſcoſos, à profunditate membrorum, magis quàm à vaſis trahit, vt Paulus nos docuit ſequẽtib; verbis. Interiora colocynthidis, vacuant præcipuè bilẽ & mucos, nō à ſanguine, vt helleborus, & ſcamoniũ: ſed à neruis, & neruoſis mẽbris. Cõpoſita quoq; medicamẽta, pari artificio, quædã huic, quædã illi mẽbro expurgando magis ſunt idonea. Pilulæ alephãginæ, de hiera, & ſtomatichæ, ventriculũ: cochia, aurea, & ſine quibus, caput, & organa ſenſuũ: pilulæ lucis oculos: de agarico thoracẽ, & pulmones: fetidæ, & de hermodactilis, iuncturas purgant. Sunt etiã plura alia quæ autores ſcribunt, & nobis cõmodè habentur in vſu: quæ licet ab vniuerſo corpore vacuent, hanc aut illam partem magis reſpiciunt. Vniuerſum præterea corpus vacuat ſudor, tranſpiratio, vomitio violentior, & exercitium, frictio, vigilia, cura, æſtus, balneæ calidæ, præſertim nitroſæ, ſulphuræ, & bituminoſæ. Ex accidenti quoq; vniuerſum corpus, æqualius quàm alia omnia, vacuat inedia: libro aduerſus eraſiſtratũ, & 4. Aphor. com. 2. autore Gal. Nam licet venæ ſectio vniuerſum corpus euacuet, magis inanit vaſa quàm membra: expurgatio, magis interna & ſuperna

perna, ſudor magis externa, libro artis medicinalis, cap. 99 autore Gal: inedia verò cum omnibus corporis partibus deneget alimentũ, facit omnes corporis partes, æqualius à natiuo calore inaniri. Particularis verò vacuatio, ea dicitur quæ ſolã partem vacuat: atq; huius generis ſunt, cerebri per palatum & nares purgatio: pulmonium ſcretatio, lenis vomitio, miſctio arenularum, aut puris, clyſter, balanus, frictio partis per ſe, aut cum oleo digerente, balneũ particulare, perſuſionem aut embrocationẽ vocant, ignitæ cucurbitulæ, ferrũ ignitũ, veſicantia cauſtica, & alia huiusmodi. Mos præterea eſt, particulãre euacuationẽ interdũ nominare, eam quæ à toto corpore valde exiguum abducit: vt ſectio venæ frontis. 6. lib. epid. citato: ſcarificatio, hirudinũ admotio, medicamẽta reſerãtia ora venarũ, exiguus ab vtero ſanguis, aut ab hæmorrhoidẽ. Vacuationẽ præterea partiuntur medici, penes diſtantiã loci per quẽ vacuatur humor à parte affecta: atq; in tres diuidunt, in reuulſoriam, deriuãtem, & euacuãtem. Reuellimus per diſtantiſſimã, deriuamus per proxima, euacuamus verò ex ipſa parte. Eſt autem reuulſio, humoris fluentis, aut fluxuri, ad cõtrarium reuocatio. Triaq; memorat cõtraria Galenus, ad quæ humorem reuocare poſſumus: ſupra ſcilicet & infra, dextrum & ſiniſtrum, ante & retro: quibus addit libro de reuulſione Galenus, quartã differentiam, quæ eſt ab interioribus ad exteriora. Oportet autem in his differentijs, vt verã cõſtituant reuulſionem, interuallum addere momentaneum venæ ſectæ, à loco affecto: aliter omnis vacuatio eſſet reuulſoria, ſiquidem ab internis, ad externa humorem euocat. Si ergo hoc interuallum ita deficiat, vt vena ſectã adiaceat parti affectæ, euacuans eſt iſtiusmodi venæ ſectio, non autem reuellens. Si verò non adiaceat vena, ſed vicina ſit: deriuatio appellatur. Hinc iſtiusmodi nomina interdum confundi mirum non eſt: quoniam in omni quantuncunq; proxima loco affecto vacuatione, aliqua ſemper ſubest contrarietas: ob quam, ſciſſio venæ frontis, remedium reuulſorium appellatur à Galeno, quinto Aphoriſmorum, cõmentario ſexageſimo octauo. Verè etiam dixeris, aut eſſe deriuatorium (quoniam interuallum, quòd eſt à fronte in occiput, non implet exactã reuulſionem) aut eſſe remedium locale, & euacuatorium, ex ipſa parte affecta, quæ caput eſt: vt ſcribit Galenus, ſexto libro Epidemiarum, parte ſecunda, cõmentario nono. Sed quomodo reuulſionem, euacuationis ſpeciem eſſe ponimus, ſiquidem eam ab euacuatione diſtinxit Galenus, libro artis medicæ, capite nonageſimo quinto, in hæc verba? Ad hæc igitur ambo totum corpus euacuare oportet, aut omnino ad contraria loca retrahere, quòd patienti particulæ influit. Quibus verbis, inflammationi medetur Galenus, aut totum corpus euacuando, aut humorem qui patienti particulæ influit reuellendo: quaſi reuulſio euacuationis genere non contineatur: Dicendum verò, quòd quædam eſt reuulſio, quæ extra corpus vacuat humorem, atque hæc eſt, quæ vacuationi vt ſpecies ſupponitur. Alia verò eſt, quæ humorem è corpore non educit, quæ per caſfactionem, frictiones, ligaturas, balnea, & leues cucurbitulas aduerſe parti



admotas obitur, de qua eò loci egit Galenus. Reuulsionem etiam ibi trifariam fieri dixit, in hæc verba. Retrocedet autem, vel impulsæ, vel attractæ, vel transmissæ, vel vno horum aliquo modorum, vel omnibus. Libro autem. 13. methodi, cap. 9. duas tantum reuulsionis differentias memorat, in hæc verba. Quoniam igitur momentum omne curationis laborantis phlegmone partis, in redundantis in ipsa sanguinis vacuatione consistit: vacuatio autem hoc genus affectorum excogitata est duplex, aut translato ad alias partes, qui in ægra continebatur sanguine, aut foris à corpore expulso. Quæ tamen loca contraria non sunt. Nam primum membrum huius diuisionis bimembris, comprehendit primam & ultimam differentiam alterius trimembris: siquidem repulsio à parte ægra, fieri potest à facultate partis impellente, quæ prima differentia est: & à medicamento transmittente, aut repellente, quæ est ultima. A malo vero per euacuationem abigendo, vacuatio diuiditur in curatiuam, præseruatiuam, & eam quæ corpori sano debetur. Nam si sanum corpus est, & omni suspicionem vacat, eæ tantum vacuationes sunt procurandæ, quæ sano homini conueniunt: recrementorum alui, & vrinæ, quotidie: sudoris, vel transpirationis, & sordis etiam crassioris quæ cuti & linteis adherescit, perpetuo: sanguinis vero mensalis, à duodecimo in quinquagesimum annum. Cerebrum quoque in homine sano, per palatum, per nares, per aures, & oculos: thorax, & pulmo, per lenem tussiculam, & vociferationem debent purgari. Quæ si rectè eant, sunt custodienda: si minus quam oportet vacuetur, iuuanda: si magis, cobibenda. Quod si non integrè sanus homo sit, sed neuter, atque ob id suspectus, quod morbi semina concepta habeat: præseruatiua quæ futura mala auertat indiget vacuatione. Si vero iam ægrotet homo, vacuationem vtimur curatiuam, non modo in morbo factò, verum etiam in fiente: in quo quæuis vacuatio, præseruatione non vacat. Nam vacuato humore, non solum præsens malum curamus, sed futuros etiã paroxysmos prohibemus: futurorum autem est prouidentia, sicut præsentium affectionum medella, vt sepe sæpius est à Galeno proditum. Verum quia corpus manifestè ægrum est, curatiua appellatur, non præseruatiua, huiuscemodi vacuatio, vt libro Artis medicinalis, capite. 99. Galenus est autor. A dignitate vero partis per quã fit euacuatio, dicimus quod quædam sit per loca conferentia, alia per inidonea. Partem enim vacuationi idoneam, faciunt duo: ignobilitas partis, & effluxus commoditas. Cutis totius corporis est pars ignobilissima, nam licet vsum præstet tegendo corpori, nullam habet actionem. Ventriculus nobilior est, facile tamen purgatur ob amplitudinem. Intestina sunt ignobilia, & commodè purgantur. Vesica commodum habet effluxum, & non est vsq; adeo vilis. Vterus omnia habet mediocria. Nares, ob situm (quonia scilicet propè cerebrum, & in facie sitæ sunt, & organum olfactus custodiunt) ignobiles prorsus non sunt. Emunctoria quoque sunt ignobilia, in quibus si abcessus erumpant, nullatenus sunt reperiendi: retro aures, cerebri emunctorium situm est: in axillis, cordis & spiritalium: in inguinibus, iecoris & naturalium membrorum: per ea enim loca, ceu ignobilia, solet natura principium membrorum,

membrorum sarcinam vtiliter deponere. Nec aliud est emunctorium, quam locus aptus emungendi, repurgandi, ac in se ipso concipiendi, principum membrorum recreamenta. Quæ ergo per aliquod dictorum membrorum fit vacuatio, per loca conferentia fieri dicitur. Contra motus qui ad pulmonem, thoracem, aut cor inclinatur, nec bonus est, nec per consentanea loca fit. Tot differentijs distributa vacuatio, traditur à medicis sparsim, & confusius quàm par foret: nos vero vtilitati studentes, in re tam fructuosa, in gratiam studiosorum oleum & operam impèdimus, & nulli hac in re labori pepercimus: vbi non de spontinis, sed de arte factis, spontinarum imitatione agimus: acturi postea de spontinis, vbi de crisi bus sermo nobis incidit. Sunt autem nobis singillatim omnes species examinandæ, quæ vniuersum scilicet corpus, aut partem aliquam solam euacuant: quæ à nullo humore abstinent: & quæ vnum aut duos eligunt. Interim vero reliquas differentias quæ circa hæc fiunt, vtilitatis, mensuræ, distantie, dignitatis, ac reliquas suis locis distribuemus. Tenent autem inter omnes alias principatum, venæ sectio, & expurgatio: de quibus primitus est agendum, ac de venæ sectione prius. Est enim venæ sectio, maximum, facillimum, celerrimum, ac securissimum auxilium: quonia sanguinis profusionem vbi sistere volueris, statim suprimis: ex dato vero pharmaco, metus est, ne aut plus iusto vacues, vel nullo pacto euacuationem moueas, aut si moueris non tamen sufficienter vacues, secundò libro de ratione victus in morbis acutis, comment. xi. autore Galeno.

## De peccato quantitatis &amp; qualitatis. Et quod solus

sanguis quantitate redundet.

CAP. V.



**I**CET vacuatio commune nomen sit venæ sectioni, purgationi, ac alijs: arctius quandoque sumitur à Galeno, pro venæ sectione sola: vt nobis significet, speciem vacuationis eius humoris, qui sola quantitate exuperat: nomine purgationis dato humori alieno per qualitatem, vt. 2. lib. prognost. com. 14. Galenus est autor. Quantitate exuperat humor, qui præ multitudine substantie, aut vires degrauat, aut vasa distendit. Qualitate vero, qui exorbitantem aliquam qualitatem inducit: calorem, frigiditatem, & alias. Non potest autem vt supra diximus, vires grauare, aut vasa distendere, humor alter à sanguine: nam antequam hæc fiant, alter quidam ab eius humoris qualitate oriatur affectus, libro de multitudine, autore Galeno. Solus ergo sanguis, quãtitate exuperans dicitur: quonia is solus multitudinis offensas infert, grauitatem scilicet, & tensionem. Reliqui humores, sua qualitate exuperantes, ac molestantes dicuntur, quoniam ex sui natura excedentes, & exorbitantes qualitates obtinent: quarum ratione nostrum corpus intemperant, & qualitatis vitia ab ipsis illata, anticipant nocumenta quantitatis. Quod non continet

git sanguini, nam ob sui temperamenti familiaritatem quantuncumq̄ augetur, nun-  
quā est sua qualitate molestus: sed bene aliena aut accita, quotiēs corruptus, aut plu-  
rimum alteratus, à sua desciverit natura. Vnde qualitate redundans simpliciter, nō  
redundans sua qualitate appellatur sanguis à Galeno. 3. lib. Methodi, cum vel cali-  
dus, vel frigidus, vel tenuis, plus iusto, minus ve, est effectus. Ex quo sanè intelli-  
gitur Galeni locus, secundi libri præfagiorū, com. 14. Vbi ita scribit. ὄναι αἷω δ' ἐ κένω  
σιν πᾶν τῶν οὐκ εἰόν, ὅταν ὑπὲρ βάλῃ τῶ πλάθει. καὶ ὁρῶν δ' ἐ τῆ τῶν ἄλλοτρίων κατὰ πρῶτον  
τῆς. Quod est. Voco autem vacuationem familiarium, quando exuperant multitu-  
tudinē: purgationem verò alienorū per qualitatem. Vbi versio latina habet pro-  
priae materiae, nos significantius vertimus vacuationem familiarium, idest sangui-  
nis: nam dictio Græca οὐκ εἰός idem est quod familiaris. Vbi versio latina habet quan-  
titate, nos vertimus multitudinē. Primo, quoniā dictio Græca πλῆθος multitudinē  
significat. Secundo, vt de medio tollamus, vgonis, & aliorum distinctiones, de quāto,  
quod vocant speciali & generali, & alia inutilia sophismata, quæ hic cōmifcun-  
tur. Quod verò purgationem definiat, alienorum per qualitatem: intelligatur, alie-  
norum, idest succorum non familiarium: per qualitatem, idest quoniam qualitates sui  
natura habent excedentes. Quod clarius dixerat. 1. Aphor. com. 2. purgatio est hu-  
morum sua qualitate molestantium euacuatio. Sua (inquam) qualitate, non aliena:  
nam sanguis dum efferuescit, aut putret, non est purgatione vacuandus, etiam si qua-  
litate vitio morbum pariat: nam ea qualitas accita est nō sua. Quod fortè aduertens  
Auicenna. 4. fen. primi libri, capite vigesimo, ex sanguinis corruptione sumpsit in-  
dicationem ad venæ sectionē, nō ad purgationē, his verbis. Amplius in corporibus,  
quæ prolixas perpeffa sunt ægritudines, caue tibi à phlebotomia, nisi sanguinis af-  
fuerit corruptio, quæ te ad hoc perducatur, quoniā tunc phlebotomabis ea. Et cōsidera  
sanguinem, & si ipsum videris nigrū & spissum, extrahere eum, & si ipsum videris  
album & subtilē eum illico constringe: quoniā in ipso existit vehemens timor. Sic  
etiam Galenus, semper vbi sanguinem corruptum dignouit, sanguinis missione est  
vsus. Libro primo ad Glauconē, capite de cura quartanae, si crassus & ater sanguis  
exierit, sanguinem detrahit abtūdāter, si flauus & tenuis profluat, statim supprimit.  
Nono libro methodi, iuueni qui febre continente, ex sanguinis patredine decumbe-  
bat, sanguinem misit, vsq̄ ad animi deliquium: nec tamē alicuius meminit expur-  
gantis medicamenti. Latius verò & apertius, id scripsit. 6. lib. de morbis populari-  
bus, parte tertia, comment. 29. Vbi recenset historiam cuiusdam mulieris extenua-  
tissime, quæ octo mensibus menstrua caruit purgatione, & plurimo demum sangui-  
ne valde corrupto per venæ sectionem detractō, pristinam sanitatem recepit. Cuius  
hic ego verba, quoniam ad multa sunt posthac vtilia futura, scribere decreui:  
quæ ita ad verbum habent. At qui ego cuidam muliercule, iam octo menses  
purgationis menstruæ suppressione laboranti, extenuatissima cum esset, haud exi-  
guo detractō sanguine, breuissimo tempore proprium habitum restitui, sicut & alias

non paucas eodē modo ad sanitatem reduxi. Sed quod illi mulieri accidit (neq̄ enim  
erat ignobilis) fuit valde ce lebre. Ipsi quidem rescissa venæ, & medicis ex eo reme-  
dio futuram vtilitatem firmiter polliceri verentibus. Quin etiam nonnulli mihi ad-  
uersari audebant, non solum propter mulieris maciem, sed etiam propter inappeten-  
tiam, ex venæ sectione sequitur esse noxam affirmantes. Profecto hæc melius  
est longiori sermone persequi, quàm vtrius prolici Hippocrates mentionē fecerit,  
diligenter inuenire conari: verum vt supra iam dixi sæpius, recentiores medici, ad  
magis sophisticam doctrinæ speciem deflexerunt, egrotis euenientia, diligenter ob-  
seruare, & ipsorum affectus, causasq̄, ex quibus curationis inuentio acquiritur, in-  
dagare negligentes. Et ipsa verò per experiētiā, in muliere quàm memorauī con-  
firmata est: siquidem primo die sanguinis sesquilibram detraxi: rursus postero die  
libram vnā: tertio verò nō multo post semilibra, erant enim vnciæ octo. Sophista  
quidem hæc legens, quæret quis ex Græcis vnquam libras, aut quis vncias nomina-  
uit? Medicus verò, & quæ alia signa præter cohibitos menses, venæ sectionem indi-  
cēt, scire auebit. Illa igitur & ego recensebo, sophisticis vt valeant nuncios. Quo-  
niam scilicet ipsius venæ eminebant, sanguinis plenæ, colore liuidæ: rescisso autē vas-  
culo, liquida pici, & colore, & crassitudine, similis sanguis emanabat: ob id ipsum  
sanè, multò magis visus fuit largiter esse euacuandus. Ex quibus tum Galeni, tum  
Auicennæ verbis, apertè constat, quod à sanguinis corruptione, sumitur semper in-  
dicatio ad venæ sectionem, non autem ad expurgationem. Quod sanè de ea san-  
guinis corruptione intelligas velim, quæ in naturæ gratiam redire potest: nam  
exonerata natura à maiori sanguinis parte, reliquam corrigit ac restituit. Quando  
verò adeo corruptio creuit, vt sanguis redire nequeat: iam tunc sanguinis missio nō  
conducit. Primo, quoniam vires non constant cum tanta corruptione. 6. epid. par. 3.  
com. 43. autore Galeno. Secundo, quoniam is status desijt esse plenitudo, in qua ve-  
næ sectio conuenit, 2. Aphor. com. 17. Tertio, quoniam ablata est spes, reducendi  
sanguinem relictum in corpore. Quarto, quoniam huiusmodi sanguis, insigniter mu-  
tatus est ad naturam humoris biliosi, aut melancholici. 6. Epidem. par. 3. com. 40.  
quibus potius pharmacum, quàm venæ sectio est ex vsu. Sanguis ergo, vt quò flu-  
xit oratio conuertatur: siue quantitate exuperet, siue qualitate morbum pariat,  
(dum modo reduci possit) semper est venæ sectione vacuandus: expurganti verò phar-  
maco nequaquam. Nam apud Galenum, nō cuiusuis qualitatis peccatum, purgatio-  
nem poscit: sed eius tātum humoris, qui sua natura, qualitates exorbitātes sortitur,  
vt diximus. Quare per hæc verba, purgatio est humorū, sua qualitate molestātium  
euacuatio: & per ea item, purgatio est vacuatio humorum alienorū per qualitatem:  
nihil aliud Galenus intellexit, quàm quod purgatio, conuenit alijs tribus humoribus  
à sanguine: venæ sectio verò, sanguini, aut solo, aut omnium massæ. Nā præter iam  
dicta, alienum opposuit familiari Galenus. 2. prognost. citato: solus autem sanguis  
est familiaris, & qualitates mitissimas habet: tres ergo reliquos appellauit alienos.

S E D scrupus est, cur sanguinem tam sollicitè venæ sectione educat Galenus, purgatione nequaquam? Memorant enim autores, non pauca medicamenta, quæ sanguinem purgant: de quibus meminit Aëtius, libro de Compositione medicamentorum: & Aëtius libro tertio Tetrabibli, capite. 55. ubi ita scribit. Sanguinem purgat porri capitati succus, mercurialis, viola alba, malua siluestris, & salvia. De minori præterea centauro scribit Dioscorides, tertio libro, quod eius decoctum per clysterem infusum sanguinem trahit. De erui quoque farina, scripserat lib. 2. cap. 11. quod si largius in cibo aut potu sumatur, sanguinem cum torminibus elicit per vesicam, aut aluum. Periclymenum præterea, & erythrodanum, urinas cruetas eliciunt .7. & 8. libro de Simpl. medic. facult. autore Galeno. Cur ergo istis medicamentis sanguinem non vacuamus? Huic nos difficultati respondemus, quod sanguinem purgantia medicamenta, multipliciter apud autores sumuntur. Primo pro mundificantibus ac defecantibus sanguinē à sua turbiditate & faculentia: ut enim vinum turbatum, lacte amigdalorum permisto, mundum redditur & clarum: & saccarū aqua dissolutum, misco albumine: ita & sanguis clarescit, succo porri capitati, mercuriali, viola alba, malua siluestri, salvia, & etiam alijs eadem facultate insignitis. Sanguinem præterea quædam medicamenta dicuntur purgare, quoniam humores sanguini permistos, ex quibus sanguis vitiat, utiliter vacuant, & ab illis sanguinem mundum reddunt. Manna, casta fistula, mirobatani, & fumaria, quibus utitur Auicenna prima quarti, in curatione febris sanguinis, ut humores vitiosos & adustos separet: & sanguinē ab eis mundum reddat. Ad hæc sanguinē purgantia appellant, quæ valida vi aperiendi prædita, venarū ora ita recludunt: ut sanguinem abundè profundat: qualia sunt periclymeni tum fructus, tum folia, lib. 8. Simpl. capite proprio, autore Galeno: & omnia medicamenta superpurgantia, lib. 3. Simpl. capite ultimo. Nam huiusmodi, præter vim expurgandi, vires habent apprimè incidentes, excofacientes, ulcerantes, & venarū ora, similiter ac scalpellum aliquod aperiunt. Utimur autem commodè sanguinis turbulentiam excolantibus, inter quæ principatū tenent mercurialis, & malua, suntque multiplicis usus apud medicos. Utiliora verò ac efficaciora habentur secundo genere memorata, quæ vitiosos humores permistos à sanguine elidunt. Superpurgantia quoque & ulcerantia nonnunquam sunt ex usu, per clysteres præsertim infusa, quotiens dysenterias & sanguinis profluvia mouere est animus: ut in schiadicis apud Auicennā. 22. 3. cap. 27. & apud Galenū. 7. Simpl. capite de minori cetauro. Quæ autem verè dicuntur sanguinem purgantia, ea sunt quæ aliorum purgantium more, vim trahendi sanguinē ad se, ab alijs humoribus secretū habet. Quibus an uti cōueniat, manifestū facit Galen. lib. de Purgant. medic. facult. ubi ita scribit. Sed quæres forsità & tu, num aliquod medicamentū statim à principio sanguinē educens inueniatur? Inuenitur sanè, nec eo quisquā inuenito uteretur. Quamobrè inquires fortasse? Quia hoc iugulare, non purgare homines foret. Nā quæ purgāt, purgantia passim idcirco nūcupantur, quod sanguinē ab ante dictis

humo-

humoribus purū cōstituāt. At qui nemo est adeo prudēs medicus, ut vniuersum sanguinē euacuare, reliquos autē humores intus omittere velit. Quare medicamenta, quæ per venas intestinorū & vētris sanguinē deiciūt, venenis adnumerāt. Consentaneū autē erat, si modò quæ doces vera sunt, neq; hæc primo sanguinē euocare. Quibus autē nominibus eiusmodi medicamenta nūcupentur, etiam si constāter scirem, literis cōmendare nolim. Illud tamē quod in thracibus Bithyniam incolentibus, me ad huc puero contigit, sine periculo cuiusquam dici potest. Inuenit homo quidam herbam, quam si quis assumpsisset, sanguinem primo, tum vitā emittebat. Multis itaque hoc pacto morientibus, cum facinus hoc diligenti inquisitione dignū arbitrarentur, herbarium comprehendunt, & ad gentis magistratum ducunt. Is cum non solum hominem necare studeret, sed & si quis alius herbam aut didicisset aut docuisset, à nullo se quidem ipsam didicisse veneficus asseruit. Verum in suburbanum cum aliquādo suillum iecur deferret, vrgētē vētre, super herba quadam iecur deposuisse, quod aliquāto post cum sustulisset, vidisse ex vniuerso iocinore sanguineos riuulos ad herbam confluere. Ex hoc coniectura facta corpori sanguinem ea detrahi posse, periculo mox in obuiū quodam facto, ut verum comperit, quod fore sperarat, ad malos usus deinceps transtulisse: se tamen alicui alij eam monstrasse negauit. Hæc herbarius ille diu inter quæstiones habitus retulit. Populi verò magistratus, cum plurimam illis in locis nasci hanc herbam ex rei dictis accepisset, vinctis oculis ad supplicium ipsum duci iussit, ne cui inter eundem herbam indicaret. Ex his ergo lepidum caput multa medicamenta eam vim habentia ut sanguinem à principio statim eliciant, inueniri constat. Reticere autem ipsa melius est, quemadmodum & alia venena tacent quicunq; ratione aliqua præditi sunt. Quibus Galeni verbis, dilucidè cōstat, sanguinē hac ratione purgātibus minimè uti licere. Sed si solo sanguine abundante sit interdum plenitudo, nonne solius sanguinis detractioe commodior tunc vacuatio fiet, quàm si omnes cum sanguine succos haurias? Dicendum, quod sanguis adeo est familiaris, & nature amicus, ut eius supra alios excessus nunquam vitiet proportionem, sed eam potius perficiat. Contra verò reliqui à sanguine succi, non plusquā pro sanguinis cremēto cōueniat debēt cōgeri: ob idque satius semper est, omnes venæ sectione adimere (ut qualis antea erat, talis post vacuationē maneat succorū proportio) quā ex vnius, aut duorū purgatione, pportionē vitiare. Adde quod cacochimia sanguinea, totius massæ est vitium, & semper cum sanguine reliqui succi vna putrescunt: tum quoniam cum minori sint copia, à sanguine putrente facile aguntur in putredinem: tum etiam quoniam minus à natura custodiuntur, quare omnes præstat venæ sectione vacuare. Accedit quod venæ sectio redundan-tem sanguinem vacuat, & reliquum relinquit inalteratum, & omnis extrarie qualitatis expertem: pharmaca verò, & inter ea potissimè illa quæ sanguinem purgant, adeo sunt nostræ nature contraria, ut venefica qualitate nos afficiant, & corpus exangue reddant.

Quod



**¶** Quod in plenitudine quandoque purgamus, & in Cachomia sanguinem mittimus, gratia aliarum utilitatum quæ præter euacuationem concurrunt.

## CAP. VI.



Implici plenitudini, aut si mauis dicere sanguinis cremento, siue integer is sit, siue corruptionis particeps, venæ sectio conducit. Simplex verò reliquorum succorum cacochimia, purgatione non aliter est demenda. Vtriusq; complicationi, utroq; est vtendum auxilio, venæ scilicet sectione & purgatione. Atq; hæc sūt vera & perpetua ab ipso humore vacuando sumpta indicatione. Vete- res verò quādoq; ad alia quæ magis vrgēt respiciētes: purgatione vtuntur, vbi opus esset venæ sectione: & vbi opus est purgatione, venā interdum secant. Quarto enim libro de Sanitate tuenda Galenus, ita scribit. Quod si quis vel propter ætatem, vel timiditatem, permittere se medico ad sanguinem vllō modo detrahendum nolit, huic deijcienda largius aluus est. Aut si id quoq; suspectum habet, alia ratione educendum superuacuum est. Quibus Galeni verbis, apertè intelligimus, quod vbi morbus sanguinis missionem postulauerit, si vires eam non sustineant, aut propter ætatem, aut alia quauis ratione, aut si æger non pareat medico iubenti venam secare, quod sæpe sæpius contingit: tunc purgatione est vtendum quæ bilem vtramq; & pituitam vacuet, aut istorum vnum, aut duos. Satius enim est, vt solus sanguis redundet, quàm cum eo ceteri. Et pars insuper plenitudinis demitur per eam expurgationem. Et minori præterea coangustatione deinceps tenentur humores quàm antea. Quod si ex plenitudine & cacochimia permistus sit affectus (vt in eo corporis statu de quo Galenus agit loco citato, vbi vtroq; est opus auxilio) huic aluus largius est deijcienda, quàm si venæ sectioni daretur locus: vt nimirum sola purgatio, vtriusq; vacuationis vsum sufficiat. Si purgationem verò pariter ac venæ sectionem, aut renuat æger, aut non sustineat, alia ratione educendum superuacuum est: inedia, frictione, balneo, aut huiusmodi aliquo digerente: quo si non breui, at longiori tempore pristinam corporis habitudinem homo recipiat. Hanc Galeni sententiam barbarissimè transtulit Auicenna, lib. 4. de Cura febris sanguinis in hæc verba. Si autem non præparatur aliquid eorum (id est si nō fit phlebotomia, aut manus aut frontis, quas proximè indixerat) & hoc propter accidens, quod prohibet (id est propter ætatem, aut imbecillitatem, aut quoniam æger non vult) tunc fac solutionem ventris secundum modum qui est in causonide. Parcant quibus delicatiores sunt aures, nobis enim semper est animus vtilis sententias ipsissimis autorum verbis referre, ne forte nobis quispiam falsitatis, aut mendacij crimen imponat.

Contra verò in cacochimia sanguinem interdum detrahunt autores, citra sanguinis redundantiam: non habita cacochimie ratione, sed ob causam aliam adiun-

Etiam, vt scribit Galenus. 3. lib. de Locis affectis cap. 6. in hæc verba. Vbi verò solum cerebrum infirmius (quod ad hanc dispositionem attinet) sanguinis detractio non indiget, quauis ob aliā quampiā causam sanguis mitti possit. Potest autem multiplex alia causa esse, quæ nos ad sanguinē detrahendum impellat. Prima, vbi vitiosus humor sanguini sit vehementer permistus, quod in morborum initijs raro contingit; frequentissimè in augmento, & statu, vbi iam præcesserunt aliqui naturæ cum morbo conflictus, in quibus humores agitari, & sanguini permisceri assolent. Sic auctores in plurimis morbis à cacochimia natis, sanguinem non mittunt, donec signa affuerint, quæ humorē cum sanguine confusum esse declarent. Sic Auicēna capite de cura quartanæ, vt sanguinem mittat coctionem desiderat in quartana: non quod sanguinis missio coctionem poscat præuentē, sed quod argumentum sit permistionis melancholiæ cum sanguine. At in hoc statu, sanguis est iam vitiosus redditus ob permistionem prauæ, quare meritò detrahatur: dixit enim libro de multitudine Galenus, humorem aliquem vitiosum reddi posse, permistione, aut alteratione. Quare cum Auicenna quarta primi, cap. 20. in febre sanguinis coctionem requirit vt copiosa fiat phlebotomia, sine qua exiguum sanguinem educit: de febre à sanguine melancholico, aut phlegmatico, vt coctione is sanguis fluxilis reddatur, est audiendus. Alioqui sibi ipsi pugnaret, qui .1. 4. tractatu. 2. cap. 7. ita scribit. Et scias quod phlebotomia quando est intentio sanguinis, non est ex genere eius in quo spectatur digestio, nisi in humoribus alijs. Locus verò è .4. 1. ne hic desideretur, ita habet. In febre autē sanguinea necesse est vt euacuatio fiat minutione non superflua in principio, & superflua cum affuerit maturatio febris, quæ multoties remouetur in hora phlebotomiæ. Mittunt secundo sanguinem auctores, ob solam reuulsionem & retractionem humorum in contrarium, etiam vbi sanguinis adiectionem alioqui optaremus. Quod maximè fit, vbi morbum magnū, aut ingens damnū auertere curamus: vt in fluxu sanguinis narium immodico, in quo sanguinem non alia ratione detrahatur ex cubito Galenus. 5. lib. Methodi cap. 3. & libro de Sanguinis missione cap. 11. quàm vt humor in contrarium auocetur, & impetus fluentis sanguinis sedetur. Sic in screatu, mictu, vomitu, & secessu sanguineo, immoderatis mensibus, & sanguinis ex quauis parte profluuio sanguinē aliorsum vacuamus, gratia auertēdi fluxu. Sic in vehemētissimo dolore, à quacūq; is nascatur causa, materiali, immateriali, aut flatulēta; sanguinē mittimus, ne quod fieri sæpe solet, dolor sanguinem accersat, & phlegmone excitet in parte dolēte. Discrimen verò est, nam si ingens à sanguine concitetur dolor, ad animi deliquium vacuamus, primo Aphorismor. comment. 23. si à vitioso verò humore, aut flatu, sola sanguinis detractio est opus, ne in dolentem partem accurrat: hoc autē fit magis, paucō & ex interuallis misso sanguine per loca distātissima: non enim accumulata aliqua tūc indigemus minutione, vt humoris retractio fiat. Sic in casu ab alto & percussione, sanguis detrahatur, non multitudinis gratia, sed futuræ multitudinis in parte affecta. Sic in omni phrenitide, etiam à

sola bile, sanguinem detrahunt Zoar, Auicenna, Thralianus, & Galenus, 13. lib. Methodi, & Paulus in Erysipellate cerebri: quantuncunq; reclamationes Mesues & Gentilis, qui in biliosa purgant, & non phlebotomāt. Neq; enim sat est, frictionibus, clysteribus, & vinculis artubus iniectis, reuellere in hoc atrocissimo morbo, nisi sanguinis etiā missione vtaris: hæc enim summū reuellens est, apud Gal. 5. Meth. cap. 3. & lib. de sanguinis missione, cap. 11. Quin non modò in calidis, sed in frigidis etiam cerebri affectionibus (vt in lethargo incipiente) sanguinis detractio ob reuulsionē vtitur Gal. 13. lib. Methodi ante finē, vbi ita ad verbū scribit. Quin etiā in lethargicis, nemo est qui non capiti applicet auxilia. Nam & id vitium contrariū quodāmodo, secundum speciem pbrenitidi est: gignitur autem in capite, in quo scilicet princeps animi pars residet. Ergo cum humor qui in capite redundat frigidus est, insensibilitas, immobilitasq; hominē opprimunt: cum verò calidus est, perpetuus potius motus, vnā cum rationis noxa. Accidit enim (veluti demonstratū in libris his est) ex frigore segnitia, ex calore immodicus motus, ex humoris verò vitio demētia. Itaq; incidenda in talibus affectibus vena est statim ab initio: si modo tā valens virtus sit, vt sine noxa missione sanguinis toleret, ac nihil prohibeat eorū quæ de secunda vena retulimus, sicuti vel crudi humoris copia, vel puerilis ætas, vel auni tempus, vel regio in quā sit extremus calor aut frigus. Atq; hoc quidē cōmune vtriq; vitio, & ei quod cū sopore, & ei quod cum vigilijs incidit. Commune præterea vtriusq; est, vt oxyrrhodinū in principio admoueas; nā repellendus à capite humor est quisquis is fuerit. Ex quo nos Galeni loco colligimus, quòd in initio cutisq; inflammationis periculosa, vt reuellatur & succrescat minus, sanguinē mittere expedit, siue calida eā sit, siue frigida inflamatio. Nam quòd quarto continentis citat Rasius ex Galeno, in pleuritide ex mera cacochimia orta, sanguinem nō fore detrahendū: nec verū est, nec vllibi apud Galenū legitur. Quancūq; Rasius ipse cōmodè interpretetur locum eum, de venæ sectione vacuante, non reuellite. Quòd item in angina biliosa, & pituitosa, iudeus quidā vetuit sanguinem mittere: reprehenditur merito tertio libro continētis à Rasi. Quòd verò Auic. 9. 3. cap. 11. in quadam specie anginae, ex pituita à cerebro descendente, orta in fine algasamat, idest supra amigdalas, & ad partes faucium ac colatory, vetat sanguinē mittere ante declinationem, quoniā plus de pituita ex sanguine misso decurrit, & hominē præfocat: difficile est admodum. Nam venæ sectio est validissimū reuellens in quacunq; materia, & ex eius emissionē sanguis statim affluit, & omnes cum eo humores feruntur ad locū afflictum & dolentem: quare is Auicēnæ locus suspitione non vacat. Quòd itē in sanguinis sputo ex bile, aut acri defluxione, caueat à venæ sectione, Alexander, Paulus, Auicēna, & Hippocrates. 6. Epid. par. 3. com. vlt. intelligendum est, si affuerit paucitas sanguinis, & humoris deprauati ingens multitudo. Et tūc quoque erit adhibenda Galeni prouidentia, qua vtitur. 5. lib. Methodi, cuius nos verba ad finem huius capituli referemus. Sanguinem præterea ex tala mittit Galenus, libro de sanguinis missione, vt

cobibitam

cobibitam mēstruorum vacationem promoueat. Est enim in venæ sectione, vis ro candi ad se, sicut auertendi ab alio. Quin ob id auertit ab alio, quoniam ad se trahit: nec magis potest ex cubito detractio menses arcere, quàm quæ ex tala fit mouere.

Sanguinem præterea interdum mittunt autores, gratia refrigerandi vniuersi corporis habitum. Qui refrigeratur ex sanguinis missione duplici via. Primo, quoniā calidus humor, ex quo corpus incalescebat, per eam vacuatur: vt in dolore capitis ex bile, in febre tertiana, in causo, aut in ijs qui ex immodico vsu pharmacorum calidorum, aut ex febrili diurnitate, sunt supercalefacti, vt notat expertissimus Nicolaus capite de cura quartanæ, dum interpretatur verba illa Auicēnæ, & in fine quartanæ, si necessaria fuerit phlebotomia, aude super ea. Secundo refrigerat venæ sectio, cum sanguis ad animi vsq; deliquium effunditur: syncopam enim perpetuo comitatur corporis refrigeratio. Qua certè ratione refrigeramus febres sanguinis ardentissimas. 1. Aphor. com. 23. & 9. lib. Methodi, cap. 4. & libro de sanguinis missione capite duodecimo. De ijs enim ardentibus apertè loquitur Galenus, quæ ex feruentis sanguinis copia acutissimè accenduntur: non de causo atq; ardēte ex bile, quod quidam existimant: nam in hac non est sanguis adeo intrepidè mittendus, vt in syncopin cadant egrotantes. Nec quisquam ex probatis medicis, tam fuit audax, vt plurimum sanguinis in hac febre funderet, tum quoniam ingens in ipsa est cacochimia, tum quoniam experimenta infeliciter respōdent, dū largius detrahatur. O quanta exēpla nos oculis vsurpauimus, & vtinam (iuxta Galeni cōsiliū 9. lib. Meth.) omnes qui docere scribere ve, aliquid sunt aggressi, ea prius operibus ostēdisent: sic enim paucula quedam falso dicerentur, & hominum saluti bene esset consultum. Si refrigerandi ergo gratia, in causo est mittendus sanguis, primo modo refrigerabimus, & cū formidine semper: ne bilis ex largiori, quàm deceat profusione amplius excādescat. Atq; hæc certè causa est, quòd Græci in causo nō præcipiūt venā secari: Auicēna verò reformidat, & vetat. Sed de hac re, infra cap. scilicet. 17. scribemus.

Sanguinem adhuc mittit Gal. 2. Aphor. com. 29. vt minorem reddat materiā, & quod reliquum est facilius vincat. Sic in omni febre putrida, venæ sectione minorat Galenus, vndecimo libro Methodi, vbi ita ad verbum scribit. Saluberrimum autem vt prædiximus est, in febribus venam incidere, non continuis modò, verum etiam alijs omnibus quas putrescens humor concitat, vbi præsertim nec ætas, nec vires prohibent. Lenata namq; quæ nostrum corpus regit natura, exonerataq; eo quo velut sarcina præmitur, haud agrè quòd reliquum est vincet. Itaque proprii muneris haud oblita, & coquet quod concoqui est habile, & excernet quod potest excerni. Ex quo loco, volumus quispiam intelligat, in omni febre particulatim sanguinem esse mittendum, plurimæ enim sunt, in quibus sanguinem mittere minimè expediet (cum scilicet vrina aquosa extiterit, aut cum citrina igneaq; sit, ex Auic. 1. 4. tract. 2. capite septimo) sed intelligatur Galeni locus, quòd in omni febrium genere

De sanguinis




sanguis mitti debet, ubi cum humore peccante plenitudo aliqua fuerit adiuncta: copiosa quidem si plenitudo fuerit ad vasa, minorans vero si plenitudo fuerit ad vires: ut parte materiae detracta, natura reddatur potentior supra residuam. Si vero neutra affuerit plenitudo comes: & aut affuerint impedimenta: aut defuerint alia quae ad sanguinem mittendum cohortent: sanguis detrahendus non est. Venam praeterea secat Biesus, lib. 6. Theoreticae medicinae, ut partem alimenti subtrahamus. Natura enim minus impedita in conficiendis multis alimentis, tota contra morbum conuertitur, & breuius eum superat: si vires praesertim plurimum constent, & de sui iactu ra exigua indicationem exhibeant: qua certe ratione, in ediam, & victus etiam tenuitatem commendant medici. In hac tamen sanguinis ducendi ratione, temeritas multum officeret. Sanguinem praeterea ex vena secta interdum vacuamus gratia deobstruendi, & inhibendi putredinem. Nam eorum (inquit) 9. lib. Methodi. Gal. qui ex sola obstructione febricitarunt, nemo in putredinis febre incidit, qui prius sanguinem miserat. Qua certe ratione, in omni febre putrida particulatim, apud quosdam potest conuenire missio sanguinis, ut obstructio tollatur, & inde nata putredo inhibeatur. Facienda tamen prius distinctio est de causa obstructionis, nam cum alia ex abundantia, alia ex qualitate succorum, scilicet qui lenti aut crassi sunt incidat: in ea quam copia facit preferetur sanguinis missio, in ea vero quae ex succorum qualitate consistit attenuantium usus, non autem venae sectio erit ex usu, ut decimo libro Methodi, autor est Galenus. Utiliter praeterea Matthaeus sanguinem mittit, in antiquis obstructionibus hepatis, a crassa, viscosa, atque agra mobili materia ortis, ut ex venae sectione quae omnes humores agit, impacti in iocinore humores initiu motus accipiant, & pharmaco statim exhibendo leuius pareant. Hunc motum in alijs morbis, decoctis, & serapijs calidis, ac aperientibus machinamur: quorum tamen exhibitio, in valida obstructione iocinoris, non censetur segura, ob prohibitam euentationem, & supercalfactionem eiusdem. Statim enim ac iecur obstructum est, difficile euentatur ac refrigeratur, periculumque sibi non exiguum ex calefacientibus impendet. Quare satius est, ut motum expurgationi necessarium, demus humori, venae sectione, quam calidioribus & maxime incidentibus ac detergentibus medicamentis, quibus in antiqua hac obstructione opus foret. Atque id est, quod sub compendio dixit Auicenna. Sed cum antiquatur opilatio, indiges phlebotomia basilica & solutiua. Phlebotomia scilicet ut commoueat, & solutiua ut vacuet materias quae moueri coeperunt. Idem Matthaeus capite de phrenitide, sanguinem mittit tentandi gratia. Non tentat autem si conferat, aut non: est enim venae sectio vehemens praesidium, potius curando, quam tentando seruiens. Ob idque secundo acutorum Hippocrates, fomentis tentat, venae sectione curat. Tentat ergo tantillo sanguine extracto, an noxius humor expellatur: in lepra sanguis arenosus: in quartana niger, & crassus: nam si tenuis ac flauus exierit, statim est

est suppressendus apud Gal. I. ad Glauconem, capite de cura quartanae, quid autem est hoc aliud, quam tentare. Tot percensuimus venae sectionis utilitates, ut nullus plane videatur morbus, in quo eius non pateat usus: si non vacuandi, diuertendi, refrigerandi, deobstruendi, minorandi, commouendi, alimentum subtrahendi, si minus utilitas non deerit tentandi. Quod certe in magnum artis medicae ludibrium verteretur: nec enim opus esset aegro sanguinis detractione postulanti, medici consilio, qui huius aut illius utilitatis ratione, sanguinem detrahendum fore nunciaret. Sat est sciant aegri, in omni morbo sanguinis detractione, hac aut illa ratione esse profuturam: nec plurimum referre si doctum medicum accersant, aut cuius illiteratissimo se committat: quin quod & ipsi aegri sine medico sanguinem mittentes, non errabunt. Secus vero res habet, & magno semper est opus artificio, nec enim in omni morbo opus est vacuatione, sed in eo qui ab humore duxerit ortum: nec est in hoc semper vena tundenda, sed (iuxta praecipitum Gal. 4. lib. de sanit. tuen) si bonus sanguis exiguus sit, reliquus vero succus, aut plurimus, aut a sanguinis natura valde recedens fuerit, sanguis nullatenus est detrahendus. In contrarijs statibus audaciter fundendus. In medijs vero parcius, aut largius, prout huic, aut illi extremo magis accesserit mitti debet. Medici vero in utriusque officium erit, omnium indicationum vires perpendere, & omnia librare, quae venae sectione hortatur, & dehortatur. In quo examine si in praesentia cacochimiae, coiecerit ultra euacuationem aliquas ex dictis utilitatibus concurrere, quae iunctae praeponderent noxae cacochimiae: vena est secanda, ipsius cacochimiae interim indicatione non sprete: ipsi enim quoniam non leuiter indicat, aliquid semper est condonandum. Condonabimus vero, si sanguinem cum formidine, & quod dicunt cum cautela vacuemus: tantum abest ut ad animi deliquium huiusce status aegrotos ducere permittamus. Si vero indicatio a cacochimia, & sanguinis paucitate, utilitatibus dictis praeponderet, alia ratione vacuandum superuacuum est, non phlebotomia: & si multum urgeat sanguinis detrahendi utilitas, bona prius victus ratione cacochimia emendetur, & ad probiorem succum redeat: quibus sic reductis, detrahere sanguinem poteris. Hac etenim fuit usus prouidentia, Gal. 5. Methodi, in acri ad pulmonem distillatione, salsa nimirum, aut biliosa: in quibus postquam victus salubrem institutionem adhibuit, & medicamenta quaedam ei morbo congruentia indixit, ita scripsit. Ceterum de mittendo his sanguine, scire illud licet, quicumque parum habere sanguinis videbuntur, ijs ad quendam succum probiorem (sicuti praedixi) reductis, detrahere sanguinem poteris: tum rursus reficere, denuoque si res suadet sanguinem mittere: potissimum quibus veluti limus quidam vitiosus & crassus totus est sanguis. At qui validi sunt, multique sanguinis, ijs statim a principio est detrahendus. Alexandro vero & Paulo hac prouidentia non utentibus, sed prorsus sanguinis detractione cauentibus in haemotboisi ex valde acri distillatione orta, non est standum. In eundem errorem quanquam subobscurius videtur concidisse Auicennas, decima tertij, tractatu tertio, cap. 6. in hac verba. Cum ergo accidit sputum ex catarrho, & non est catarrhus

acutus, pūgitiuus, valde colericus, phlebotometur homo statim. Quasi velit dicere, quòd si destillatio est acris, pungens, & valde biliosa, non detrahatur sanguis. Nam licet verum sit, quòd indicatione sumpta à cacochimia, bilis impediatur sanguinis detractionem in spuentibus sanguinem, apud Hippocratem sexto libro de morbis popularibus, parte. 3. sententia vltima præponderat tamē vtilitas retractionis, & diuersionis, ob morbum magnum, ptiſim scilicet impendentem. Aduertant ergo iuuenes, quòd nonnunquam vincit indicatio à cacochimia, quæ sanguinis missionem debortatur: interdum magis præponderant vtilitates, aut vna aut plures, quæ venæ sectionem postulant. Rarumq; est morbi genus, in quò de sanguine mittendo non sit autoribus lis orta, conueniat ne an secus: & quidam conuenire, alij minimè contendūt, ingētesq; in vnoquoq; genere tragœdias excitant: quas magna ex parte infelicitè absoluunt vtriq;. Nullum enim est genus morbi ab humore natū, cui sanguinis missio non possit conuenire, si vtilitates præponderent cacochimie: contra verò, si cacochimia præponderet vtilitatibus. Exemplum esto præter ea quæ dicta sunt, in febre tertiana, quartana, & quotidiana, siue continuis, siue intermittentibus: in quibus suapte sponte sanguis non est detrahendus, nam vitiosus humor qui ipsas committit, purgari potius petit. Et ideò capite de tertiana, de sanguinis missione non meminit Gal. Et capite de cura tertianæ nothæ, non inſit sanguinē detrahere, nisi sanguinem mittere oporteat: scilicet ob alias quæ id suadeant vtilitates. Et capite de cura quartanæ, non permisit sanguinem mittere, nisi sanguis vehementer superabundans appareat: & si vena incisa is qui fluit, niger videatur ac crassus. At quis non videt in vnaquaq; harum febrium, quotidie accedere vtilitatem venæ sectionis, non semel aut bis, sed interdum etiam pluries: aut quia plenitudo coniungitur cacochimie, aut quia humor vitiosus est permixtus sanguini, aut quoniam materia est multa, minoratione indigens, aut gratia deobstruendi, ac inbibendi putredinē: aut quoniam ex febrium diuturnitate, ac pharmacis calidis, sanguis supercalefactus indiget refrigeratione. Idem de reliquis morbis à cacochimia ortis iudicium esto: nam vincentibus dictis vtilitatibus, sanguinis detractionem omittere non conuenit.

☞ Quod eosdem habeat scopos sanguinis missio, & expurgatio, cum omni præsidio medico.

C A P. VII.



M N E præsidium medicū, vt autor est Galenus in thrasibulo, duplici constat scopo, si congruè & ex vsu administratur: morbo scilicet postulante, & virtute in super consentiente. Postulat sanè morbus, causa, atq; symptoma, sui detractionē, atq; contrariū: in calido frigida, in frigido calida, in plenitate vacuationē, in defectu adiectionē.

adiectionem. Hæc verò nō modo morbum adimunt, atq; eius causam, sed vim etiam naturæ inferunt, & de eius viribus aliquid detrahunt: quædam magis, alia minus pro præsidij natura. Balanus alui recrementa detrahunt, & viriū etiam corporis non nihil exhaurit. In aluum infusi clysteres, magis de viribus quàm balanus adimunt. Expurgantia medicamēta quæ ore insumuntur, viribus magis sunt aduersa. Venæ sectio verò quæ idoneū alimentū, spiritus, & innatū calidum elidit: virtutē omnīū maximè deicit. Quare balanum, aut clysterem, quæuis imbecilla virtus toleret, & à quouis perexiguo morbo indicabitur: quoniā perexiguum est quòd de viribus detrahunt. Expurgans verò medicamentum, & sanguinis detractionem, nec imbecilla natura sustinet, nec quiuis morbus nisi magnus sit, indicauerit. Ob idq; tam sanguinis missionis, quàm expurgationis, duplex statui debet scopus: morbus scilicet, qui sua magnitudine magnū poscat præsidium, & virtus quæ morbum & remediij violentiam possit tolerare: vt autor est Galenus lib. 4. Methodi ante finem. Non enim morbus magnus, aliud quàm remediij magnitudinē postulat: siquidē calidus sit, magnam perfrigerationem: si frigidus calfactionem vehementem: si ex humorum redundantia duxerit ortum, magnam redundantiæ detractionem: quæ si sanguinea fuerit per venæ sectionē, si ex alijs tribus humoribus per purgationem est demenda. Morbus enim, morbi causa, & symptoma, sunt quæ postulant speciē & contrarietate remediij: & eorundem magnitudo, magnitudinē contrarietatis: vt in postente & postulato seruetur semper ratio contrarij. Ob idq; 4. lib. Methodi citato, ob morbi magnitudinem quandoq; purgat, quandoq; phlebotomat: quoniam scilicet hoc aut illud facere, non pendet ex magnitudine, sed ex specie morbi. Ob id etiam primo Aphor: sm. com. 23. ob magnitudinem doloris, iubet ad animi vsq; deliquium vacuare: atque ex specie affectus, distinctionē prius adhibet, an mittere sanguinem, an purgare conueniat. Libro etiā de sanguinis missione, cap. 8. vbi pars aliqua grauter iccta est, siue aliter quomodocunq; incipientem obtinet phlegmonem: vbi magnam ipsam fore suspicamur, curationē (inquit) à vacuatione ordimur, aut purgates, aut venā inciātes, prout alteram altera, magis conuenire vacuationem iudicamus. Eodem fine Hipp. 2. libro de ratione victus in morbis acutis, pleuritides quasdam purgat, alias phlebotomat: quoniā pleuritis omnis quæ morbus magnus est, ex partis plenitate ortus, magnū postulat præsidium: vacuationē scilicet insignē, aut sanguinis per venæ sectionem, aut aliorum humorum, per medicamentum expurgans: ea semper lege obseruata, vt morbi magnitudo magnitudinem, & species speciē auxiliij poscat. Conuenit ergo sanguinis missio in scopis cum expurgatione, & vtraq; cum omni præsidio medico: quoniam omne præsidium medicum, constat ex morbo postulante, & virtute quæ possit tolerare remediij violentiam: ergo quò magis remedium fuerit violentum, eò firmiori vi quæ ipsum toleret opus habebit, & à maiori postulabitur morbo. Quoniam verò inter omnia vacuantia, venæ sectio & expurgatio magnam

De 3 vim

vim naturæ inferunt, & plurimum de eius viribus detrahunt, non nisi morbo magno urgente, & valida virtute persistente, quæ morbi & remediij violentiam possit tolerare, aut venam secamus, aut expurganti utimur medicamento. Ridiculi enim esset, ob leuem morbum grande detrimentum afferre: detestandaque esset vacuatio, quæ simul cum morbo, debilem naturam interficeret.

De altero sanguinis mittendi scopo, ex ætate sumpto. Et num pueris, ante quartum decimum annum, mittere sanguinem expediat. C A P. VIII.



Propter morbum magnam postulatam sanguinis detractionem, & validam virtutem quæ possit tolerare: addidit Hipp. 4. lib. Acut. com. 19. ætatem florentem: quo nomine (ut autor est Gal. lib. de sanguinis missione, cap. 9.) non est sola vigentium ætas intelligenda: sed & ea quæ hanc præcedit, & quæ illam sequitur: ut scilicet due tantum ætates eximi videantur, puerorum (inquam) & senum, quibus sanguinem detrahere non liceat. Nam adolescentes & consistentes, possunt non secus atque iuvenes, sanguinis missione ferre: senum autem ætas, in verbo virium complecti potest, nulli enim qui in ea ætate est constitutus, robur inest: aut si quando inest cruda, viridisque senectus, in lacertoso ac bene compacto sene, etiã si septuagenarius sit, sanguis mitti ei debet si iubeat affectus: ut lib. de sanguinis missione, cap. 13. Gal. est autor. Vt cumque senes in virium verbo comprehendantur, non possunt tamen pueri comprehendere: quoniam validas habent virtutes naturales & vitales. In functionibus enim, quas naturales appellamus veluti auctione, concoctione, distributione, & nutritione, cæteris ætatibus longè præstant, ut 1. de tuen. valet. cap. 5. Gal. est autor: vim quoque vitalem in eis valere, notavit Gal. 4. acutorum, com. 19. nam validos pulsus hæc ætas fert, ut potè medios inter validissimos iuuenum, & imbecillos senum, ut autor est Gal. 3. lib. de causis pulsuum, cap. 5. Si puerorum ergo vires valent: & morbus sanguinis missionem postulat: quid venit Hippocrati atque Galeno in mentem, ut ante decimum quartum annum, hoc saluberrimum præsidium ipsis denegaret? Dic quod pueritia, apud Galenam duplici ratione sanguinis detractionem debortatur. Primo, quoniam tanta valent coquendi nutriendi, & digerendi facultate pueri, ut nocuam materiam facile dissipent, coquant, atque conuertant: atque ob id superflua videtur vacuatio externa, ubi interna & insita habetur. Secundo, quoniam puerorum vires, & substantia humida, mollis, tenera, ac patens, sponte sua assidue evaporatur ac defluit: quare non sustinet sanguinis detractionem, quæ spiritus & innatum calidum elidit. Cum ergo apud Galenam legitur, atque alios autores, quod sanguinis detrahendi scopi sunt duo, virium robur, & morbi magnitudo: eximendi sunt ab oratione pueri, iuxta eiusdem Galeni doctrinam, libro de sanguinis missione cap. 9.

cap. 9. in quibus illa duo non sufficiunt. Nam nec morbi magnitudo petit externam vacuationem, ubi est interna sufficiens: nec vires sunt tam firmæ, ut duplicem vacuationem sustineant, insitam scilicet, & quæ per venam sectam fit. Præfixus autem apud Galenum terminus, quartus decimus annus est. Nam cum per septimanas annorum distinguat ætates. 3. lib. Aphorism. com. 30. & lib. 5. Aphorism. com. 7. ante secundam septimanam exactam, sanguinem mittere reformidat: & tum primum ubi illam attigerint, mittere sanguinem aude: idque parcius, quoniam tunc primum solidescere tenera puerorum substantia incipiat. Sic enim scribit, lib. de sanguinis missione, cap. 13. Nec pueris venam secabis usque ad quartumdecimum ætatis annum: post quem si multus congestus sanguis appareat, tempusque anni vernum fuerit, regioque natura temperata, & pueri natura bene sanguinea, sanguinem minues. Idque multo magis, si aut peripneumonia, aut angina, aut pleuritidis, aut alterius acuti, grauisque morbi periculum incumbat. Libro præterea vndecimo Methodi, post medium, ita scribit. Quippe si vires eius qui ex putredine humorum (ut positum est) febricitat, valentes sint, mittendus statim sanguis est, si cruditas ventris non sit statim morbo incipiente: si vires infirmæ sunt, aut ætas dissuadeat, incidenda vena non est. Porro dictum supra est, eiusmodi febrem in virtutem imbecillam non incidere: quippe synochos, bene habitus corporis, ac calentis ætatis, propria est. At si in puerum incidat, qui quartum decimum annum hætenus non attigit, mitti illi sanguis non debet: propterea quod tætilis, cum præsertim calidi ac humidi sint, plurimum corporis substantiæ quotidie defluit, ac digeratur. Ita quod ex incidenda vena molendum nobis fuerat, id vltro nobis ex curati corporis natura præstatur. Libro præterea tredecimo methodi, de phrenitide, lethargo, & alijs tam frigidis, quam calidis cerebri affectibus agens, ita scribit. Itaque incidenda in talibus affectibus vena est statim ab initio, si modo tam valens virtus sit, ut sine noxa missionem sanguinis toleret, ac nihil prohibeat eorum quæ de secunda vena retulimus: sicuti vel crudæ humoris copia, vel puerilis ætas, vel anni tempus, vel regio in qua sit extremus calor aut frigus. Ex quibus Galeni locis, manifestè conuincitur in maximo errore versari, qui quod Galenum excusent, ipsum multipliciter interpretantur. Valesius sanè inquit, quod non vetuit pueris sanguinem mittere Galenus: sed vnicam tantum indicationem declarauit ex ætate desumptam, cui aliæ possunt obijci potentiores. Valeriola, atque Fernelius, quod copiosas detractiones, suo tempore fieri solitas pueris negauit, non parciores quæ nobis usu habentur: delusi ex quodam Galeni loco, libro de sanguinis missione, cap. 14. ubi ita scribit Galenus. Proinde minus detrahimus quam plenitudo commonet, quod ad ætates quidem attinet in pueris: quod ad corporis habitus in candidis. &c. Qui sanè locus, de pueris qui quartum decimum annum transgrediuntur, est intelligendus, quod monstrat eiusdem Galeni verba à nobis recensita è decimo tertio capite eiusdem libri, quæ sic habent. Hæc ratione, nec pueris venam tundes usque ad quartum decimum ætatis annum, post



quem si multus congestus sanguis appareat, tempusq; anni verum fuerit, regioque natura temperata, & pueri natura bene sanguinea, sanguinem minues: multoq; magis si aut perimneumoniae, aut anginae, aut pleuritidis, aut alterius acuti grauisq; morbi periculum incubat. Ex quo cuius fit manifestum, puerum appellasse eum qui decimum quartum annum fuit transgressus: cui etiam primo sanguinem mittere concedit: idq; parcius quam alijs etatibus, quibus solidior reddita est membrorum substantia. Ante decimum quartum verò annum nullatenus sanguinem mittit, ob idque libro de Sanguinis missione cap. 9. etatem memorat inter scopos necessarios mittendo sanguini: & non inter eos qui quantitatem sanguinis extrahendi praefiniunt. Ex dictis praeterea Galeni locis elicio, praeter Galeni mentem loqui eos, qui in pueris ob cutis raritatem facile transpirare succos autumant. Id enim propter cutis & totius substantiae molliciem euenit, ut inuit Galenus locis citatis, & nono Methodi, & libro quarto de Victu acutorum, commentario vigesimo, non autem propter raritatem, siquidem in pueris, cutis est magis continua, & minus perforata: in senibus contra plurima habet spiramenta, ut docet Galenus lib. 2. de Temperam. Libro etiam primo Simplicium. Cutis (inquit) omnis, in primo statim ortu sibi continua cum sit, temporis spatio pertunditur. Nec verisimile est, quod testatur Orbasius lib. 2. Aphorism. com. 49. ut eius hic obiter admoneam, hominis cutem poros habere maiores quam caetera animantia, cum bruta sint magis hispida.


**S E D** pace Galeni (satius enim est aliter sentire, quam ipsum male interpretari) nostra aetas non fert hoc praesidium pueris denegari. Suo forte tempore adeo erat valida puerorum natura, ut morbi materiam promptè euacuaret, & in halitus digereret: quanquam & ipse de sui etià temporis imbecillitate conqueratur. 2. lib. de Fracturis com. 27. Sit verò sua etate ut vis, nostro aeuo non sic euaporatur ac defluit plenitudo puerorum: in morbis praesertim exactè peracutis, in quibus nequit tam breui tempore, in spatio scilicet quatuor dierum, vniuersam morbi materiam facultas diffare. In pleuritide quoq; angina, & cuiusuis internae partis inflammatione, ubi humor impingitur & putrescit, & adhuc ad partem maiori copia ex vniuerso corpore influit: frustra sperabimus noxium humorem antequam puerum iugulet, halitu digeri posse. In pleuritide praeterea quae puerum perdidit, humor non fuit discussus, multo igitur fuisset satius, venam ad complementum totondisse, quam falsa pollicitatione euaporationis, praecipitè occasione luisse. Quid praeterea ante decimum quartum annum Galeni tempore pueri possent sustinere, non sat scio: id verò scimus omnes, quod nostri pueri, multo ante sustinent, non modo venae sectiones, sed venerea & connubia: rarumq; puerum inuenias, qui duodecimum annum incorruptus attingat: nec tamè ex hoc etiam si immodici fuerint, valde leduntur: quare minus ledi ex sanguine misso ubi oportet, existimadum est. Feminae praeterea nostrae duodecimo anno magna ex parte menstruas habent purgationes, & decimo tertio atq; decimo quarto plurimas vidimus vtero gestare, atq; feliciter parere: quoniam cum

nequeat natura vniuersum sanguinem dissipare, & in corporis alitionem absumere, quod reliquum est per vteri venas deturbat, aut foetui ministrat: ante hoc ergo tempus, cum per etatem negatum est parere, & vterorum venae aperiri non coeperunt, si ingens adsit plenitudo, multo audacius sanguinem ex vena secta mitemus. Pueri praeterea, caloris natui, & facultatum naturalium firmitate maximè valent. 1. Aph. com. 15. & lib. 6. de accideti & morbo autore Galeno: quod ergo per sanguinis missionem ipsis fuerit ademptum, minori negotio quam aliae etates reparabunt. Natura quoque id genus curationis nos docuit: nam infantium plures morbos per sanguinis profluuiam sanat, ut 6. lib. Epidem. parte. 1. comment. 19. docuit Galenus. Sic Auenzoar filio suo trimo venam secuit, ut refert Auerrh. 7. colliget, cap. 3. Sic nostro tempore, ab ipsa natura edocti, & frequenti experimento confisi, à tertio anno venam secamus, in puero bene carnosio, plenè ac liberaliter educato, cui venae tumet, & plenitudinis signa alia apparent, praesertim si graui consistatur morbo, aut ab alto cecidit. In natu verò minoribus ac lactetibus, brachia, atq; crura, à tertio mense, vtiliter & felici successu scarificamus. Si puer verò qui tertium annum transegit, non omnino carnosus fuerit, nec in tanta vbertate educatus, aut si ingentis plenitudinis in ipso, non omnino apparuerint signa: non est in ipso vena secanda, sed scarificatione crurium, aut brachiorum, semel atq; iterum adhibita utimur. Est enim scarificatio, vicaria phlebotomiae, & quae minus quam ipsa imbecillat: fitq; pro virtutis tenore, modò tenuis, modò profunda, & interdum media, ut 2. lib. ad Glauconem, capite de abscessibus, Galenus est autor. Non est autem vti dum scarificatione profunda, primis duobus annis: tertio verò anno, profundior fieri potest: nam & cucurbitulis, quae sanguinem è profundis eliciunt, hoc anno vti permittit Auic. 4. 1. cap. 21. Nam cum est vnius anni (inquit) id est ante secundum annum expletum, prorsus non debet ventosari: quare in tertio anno ventosetur. Parcant aures delicatae, nam haec verba eò produximus, quòd hic sit huius loci Auicennae legitimus sensus: quem non intelligens Iacob Martinus, corruptissimè vertit, ad sexagenarios transferens sententiam. Cauemus ergo iuxta Galeni consilium libro de sectis, à quauis detractio sanguinis, etiam per scarificationem facta in natu admodum paruis, id est in ijs qui tres menses ab ortu non exegerunt. Nam male fecerit qui per puerum natu admodum paruus, interpretatus fuerit eum qui decimum quartum non expleuit: licet enim puer is sit, admodum paruus non est. Atq; hac in parte rectius mihi quam alibi Galenus sapere est visus. Quare si aetas pueritiae inter praecipuos scopos sit statuenda, non ad decimum quartum annum, sed ad tertium mensem est producenda.

**¶** Cuius virtutis robur, ad sanguinis missionem requiratur. CAP. IX.

Da 5 Quod





**V**O. D. ad sanguinis detractionē, robur virtutis requiratur huc usq; diximus: cuius autē virtutis maius optemus robur, vitalis, naturalis, aut animalis, dubiū videtur. In quo ego cōsuerim, quod omniū virtutū certū requiritur robur, vt sanguinis missionē homo toleret. Nā si quacūq; virtus ex sanguine misso potest exolui, & cuiusq; exolutio est hominis interitus, cuiusq; etiā certum robur exigetur, vt sanguinis missionem ferat. Quoniam autem vt autor est Gal. 7. lib. Methodi ad finem, non par est actionum ipsarum facultatū dignitas ad egros seruandos, sed alię magis bis: alię minus vtilis sunt: Vtiq; ad portionem actionum dignitatis, etiā cuiusq; partis prospiciendum est robori. Maxima igitur est cordis officij dignitas, atq; egrotantibus maximē omnium necessaria. Cerebri verò, ad vitam par est momentum, non tamen par robur eius in egrotis requirimus: cum necessē omnibus non sit, neruorum ac muscutorum opera vti: itaq; abunde fuerit, si tantum eius seruatum sit, quod respirationis minus sit obeundū. At verò iocinoris opus, omnibus particulis pernecessarium est, non tamen adeo saltem perpetuam necessitatem habet sicuti ipsius cordis, ad portionem autem iocinoris, etiā vetriculi opus se habet. Intelligens ergo omnium particularium, tum functiones, tum vsus, quos in alijs commentarijs tradidimus: haud difficulter inuenies quatenus cuiusq; robur custodiri oporteat. E quibus Galeni verbis manifestò intelligimus, quod robur vitale est maximē necessariū, & seruandū in agris: post hunc robur naturale iocinoris, vetriculi atq; venarū: vltimo robur cerebri. Nam à cordis facultate pendet vita, & reliquarum etiā facultatum integritas: alię enim omnes, cordis influxu seruantur & vegetiores redduntur. Iecoris verò, vetriculi, atq; venarum actio, necessaria est, tum corporis nutritioni, tum etiā coctioni materiae morbosa: quare summopere horum robur est seruandum, & prae oculis habendum. Robur verò cerebri omnium minimē requiritur: abunde enim fuerit, si tantum eius seruatum sit, quātum respirationis ipsorū exigit munus. At ego de cerebro valem magis sollicitū fuisse Galenum: nam etiā si rectē spirent egrotantes, si tñ minus promptē screent, in morbo qui per spūtum debeat terminari, morientur, quinto de locis, autore Galeno: ergo non modò requiritur robur ad respiratum, sed ad prōptū screatum. Item & ad facilem motū in lecto, huius enim defectu, plurimos precipuē pingues, & crassos, nouimus obijisse, quos nostrates appellant abarrancados. Item & ad mentis opera, quod non decedant amentes, intestati, & impænitentes: quo nihil (præsertim nobis Christianis) infelicius contingere potest. Accedit, quod magna lesio cerebri, plus timēda est: & citius quàm lesio iocinoris infert mortē. 5. de locis, cap. 1. autore Gal. Omnes ergo facultates debēt cōstare, vt sanguinē mittere audeas: vitalis plus ceteris, naturalis deinceps, omniū minimē animalis, magis tñ quā pro respiratione obeūda. Autores verò vitale robur solū expresserūt, ob principatū: & quoniā omnium maximē requiritur: & quoniā certiores, & euidentiores de se ex pulsu notas præbet.

Vnde

Vnde libro. 4. de Viētū acutorum, com. 19. ita scribit Galenus. *ὅτι δὲ τριτὸς σκοπὸς ἡγίται τῶ συγγραφεῖ τῆς ζωτικῆς δύναμεισ ἢ γὰρ* Quod est. Tertiū scopū non prætermisit libri huius conscriptor, qui vitalis facultatis robur existit. Mel-densis verò hunc locum vertēs, genitiuum ζωτικῆς prætermisit. Sic secundo libro de Compositione medicamentorum secundum locos, cap. 6. Curationem doloris capitis ex ictu à venæ sectione orditur, si vis vitalis nō est imbecilla. Et libro de Sanguinis missione cap. 13. pulsus validus cum equalitate, est minime fallax signum virium robustarum. Vna tamen ex dictis facultate affecta, reliquę duę affectionem statim participant, vt 2. Acutorum commentario. 47. idem Galenus est autor: & multo magis reliquę compatiuntur cordi, quàm cor ipsis. Libro verò decimo Methodi, ad initium, vbi solius naturalis virtutis meminit Galenus, aut nomine naturalis, omnes tres virtutes intellexit, quoniam corporis naturam constituunt: aut vitalis simul cū naturali est intelligenda, quoniā pro vt distinguitur ab animali virtute, quę voluntaria est: ambę sunt naturales. Hac enim significatione. i. libro de causis sympt. ad initium, duas in nostro corpore esse operationes dixit: naturales scilicet & animales: comprehensius vitales nomine naturalium, quoniā arbitrij sunt expertes vtręq;. Galeni autē verba è libro decimo Methodi, ita habent. Cum autem in ys examinandis, non parum visa est, ad hominis salutem momenti habere vis ipsa naturalis, vtiq; de eā quōq; non leuis ad agendorum inuentionem consideratio est habenda. Ita fit vt tria prima sint, quę in propositis iam ob putredinem febribus agēdorū indicationem nobis præbeant: vna febris ipsa, altera effectrix eius causa, tertia vis ipsa naturalis. Cæterum priora duo summonēda sunt, tertiū est tuendum.

### De roboris mensura, & quam sit eius notitia difficilis. CAP. X.



**V**M facultas omnis possit esse imbecillis, in sua essentia, & in comparatione ad ponens quod gestat (per agrauationem id appellamus) secūda hæc imbecillitas, non modo nō prohibet vacuationem, verum eandem poscit: vt ab ipsa humoris sarcina leuata natura cōmodē habeat, atq; respiret. De priori verò est difficultas: An possint vires vsq; adeo deijci, vt ne minimam sanguinis tolerent detractionē: nam vnicuiq; virium ordini, sua quædam vacuationis quantitas proportionē reddi potest: neq; enim credibile est, ex vnciæ aut seminciæ sanguinis effusione, vbi sanguinis adsit redundantia, quantumuis vires sint imbecilles, modò non sint deplorata, plurimū offendi posse. Attamen scire oportet, quod vacuationū alia est integra, vniuersam scilicet materiam morbi adimens: alia vtilis quidem, sed non integra, quę parte morbi sublata, reliquam facit leuiorem: tertia eo vsq; exigua est & deficiens, vt nihil leuet laborantem. Primæ duę, vires, aut firmas aut me-

dio.

diocres postulant, vltima verò inutilis est, & citra morbi leuamen viribus incommodat. Atq; ideo rectè statuerunt autores, quòd viribus deiectis, nulla omnino vacuatio est adhibenda. Nam duas priores nò tolerant: vltima verò inutilis & est incòmoda. Magno tamen est opus consilio, longa experientia, atque barbato magistro, vt roboris mensuram præfinias, atq; cum alijs conferas, quæ sanguinis detractiõnẽ suadent, aut prohibet. Nam plerunq; in magna virium deiectione, vacuationes spontè salubriter, euētũq; fœlici prorumpunt: atq; à medicis ægri deiectissimi, & extenuatissimi, phlebotomati sanantur. Interdum verò quæ magis constare videntur vires, ex euacuatione deficiunt, laxantur, atq; soluuntur. Quorum omnium nos sæpissimè plura vidimus exempla, & nò pauca apud autores legimus: Inter quæ historia extat celebris apud Galenum lib. 6. Epidem. par. 3. com. 29. Cuiusdam mulieris extenuatissime, quæ octo mensibus menstrua caruit purgatione, & plurimo sanguine valde corrupto, per venæ sectionem detractò, pristinam sanitatem recepit. Galeni verba ob multiplicem ipsorum vtilitatem recensuimus cap. 5. huius tractationis, ad quem lector recurrat.

**E S T** autem vna causa difficultatis, quòd non modò oportet cognoscere an facultas sit imbecilla: sed quæ sit huius imbecillitatis causa. Nam si ob euacuationem sensui manifestam, aut ob eam quæ per halitum fit discussionem, siue ob inediã virtus labefactata fuerit: qui ita affecti sunt cibari quã celerrimè expostulant. Contra autem qui ob dolorem, vel morbi acumen, parum valentem habent facultatem, vacuatione interdum magis, quàm repletionem indigent: imò cum cibum his quispiam exhibet, maximum adfert detrimentum. Ignorare autem si æger parum valeat, ob euacuationem magis quàm ob dolorẽ, probro vertitur: vt lib. 2. de Victu accutorum com. 48. autor est Galenus. Est & altera difficultatis causa, quòd non modò facultas debet constare ad præsentẽ sanguinis missionem, sed etiam ad plura alia post futura: scilicet ad tolerandum morbum, aut symptomata, aut curationem. Nam si protrahi diutius debeat morbus, præsertim si is sit crism habiturus, non modò ad sanguinis detractiõnem tolerandam, sed etiam ad diu perferendum morbum, atque ne in crisi lassata natura concidat, opus est validiori facultate. Quòd voluit Auicenna. 4. 1. cap. 20. his verbis. Et cum ægrotudo est habens crism, in cuius tempore est longitudo, nullo modo sanguis multus est minuendus: sed si possibile fuerit, quies est faciendã. Quod si non fuerit possibile vt quies fiat, ex eo parum minuat, & in corpore sanguinis thesaurus recondatur ad phlebotomiam faciendam si apparuerit, & virtus conferuetur ad resistendum in crisisibus. Similiter si expurgans medicamentum, aut vstio, aut aliud vehemens auxilium, sit necessariò superuenturum in morbi curatione, neque sine istis possit morbus sanari: malè fecerit qui robur pro solo sanguine mittendo perquisierit: nam sanguine detractò, infirma reddetur natura ad reliqua auxilia. Si dolor præterea, aut vigilia hominẽ teneat, aut adsit profluuium ventris, aut sudor, etiam si non sit pro multitudinis ratione, nec sanguinem mittat,

mittit, nec expurganti vtitur medicamẽto Galenus, lib. 1. ad Glauconẽ cap. 12. vbi ita scribit. Sed neq; si fuerit febris cum profluuiò ventris, alia est opus euacuatione. Verum hæc sola sufficit, quauis non sit pro multitudinis ratione. Quicunq; enim his plus alimere fore necessarium putantes, aut sanguinẽ mittere, aut ventrem mouere tentauerunt: in grauiora pericula duxerunt. Sed neque si quis simul & distentione neruorum laborauerit, & sanguinis eguerit missione: neq; huic tantum semel mittere oportet, quantum exigit morbus: sed aliquid etiam accidenti est relinquendum, cuius causa sepe sudores eueniunt, & vigiliæ molestant, & vires ægroti debilitantur. Ita etiam si vehementissimæ vigiliæ, aut dolor intensus ægrotũ infestant, cauendæ sunt subitæ, ac multæ euacuationes. Sed mox quispiam inficias ibit, asserens pugnare hoc eiusdem Galeni sententiæ. 1. lib. Aphorism. com. 20. vbi dixit: quòd si natura non integrè vacuat, licet medico quòd deficit arte supplere. Et hoc facere conuenit ipso etiam vacuationis tempore, si ex naturæ impetu in vacuãdo, cognouerimus quantum ipsa deficiat, quòd ex coniunctis ambobus perficiatur quòd postulas, vt lib. 9. Methodi Galenus est autor. Ergo in alui profluuiò qui nò fuerit pro multitudinis ratione, licebit aut venam tundere, aut expurgati vti medicamẽto. Primo præterea lib. Aph. com. 23. Gal. sanguinẽ ad animi defectionẽ mittere permittit in tribus casibus: in ardentissimis scilicet febribus, in magnis inflammationibus, & in vehementissimis doloribus. Ergo dolor non modò nò retrahit à sanguinis missione, verum etiã ad syncopim fieri poscit. Cui responsum sit, Galenum non sibi ipsi pugnantia cõscripsisse, nã vtrobiq; vnus est sibi propositus scopus, quòd scilicet vires seruentur, & infestus humor prorsus vacuetur: siquidẽ vires validæ admodũ fuerint, & ex impetu vacuationis quã natura est orsa, dignouerimus imperfectè iudicaturam, quòd deest venit arte supplendũ: si verò nò adeo cõstent vires, nec certi omnino simus post sanguinis detractiõnẽ, aut expurgans medicamentũ propinatum, naturam posse tolerare vacuationẽ, quàm antea fuerat orsa: tunc melius fuerit totum naturæ permittere, etiam si pro multitudinis ratione ipsa nò vacuet. Satius enim est sperare, quòd in posterum natura, aut integrè iudicet, aut ab euacuatione desistat: quàm ipso vacuationis tempore in discrimen agere ægrotatẽ. De sanguine verò mittendo in dolore, scire oportet, quòd si ex sanguinis detractiõne speramus dolorem leuandum fore, sanguinem mittere expedit: & si vehemens dolor sit, ad animi vsq; deliquium detrabere conuenit. Si verò non speratur doloris leuamen, sanguinem mittere formidamus: nam facultas quæ ferendo dolori est pernecessaria, imbecillior reddita ex sanguinis detractiõne, dolorem amplius tolerare nequibit. Sic Auic. 4. 1. cap. 20. dixit, quòd phlebotomia & colica rarò coniunguntur: quoniã scilicet rarò speratur colici doloris leuamẽ ex phlebotomia, & virtus ex ea redditur infirmior, cruciatui deinceps ferendo. Est etiã non minima difficultas, dignoscere imbecillitatem facultatis: quando propter inanitionem, & defectum in propria essentia, redditur imbecillus: & quando ag grauatũ. Nam signum in equalium pulsationum positum

fitum à Galeno 2. lib. de Causis pulsuum cap. 1. nō est in omni ag grauatione obuiū. Ex decem nanq̄ grauatis, si experimentis attendas, manifestam inaequalitatem in robore & magnitudine pulsationum, in vno aut altero difficilē aduerter: nisi plurimum fortē creuerit plenitudo, quae ad eam inaequalitatem cogat. Ex euacuatione quoq̄ si repentē reddatur imbecillis facultas, eandem inaequalitatē acquirit: ob idq̄ dum sanguis superflue detrabitur, pulsus contrectare iussit Galenus, lib. de Sanguinis missione cap. 14. Ut cum primo coeperit inaequalis fieri, sistatur sanguis. Quare in re tam ardua, & quae tot habet difficultatis causas, nemo nisi expertissimus sibi fidat: video enim maximē in hac re omnes peccare iuuenes: nec omnes senes certos esse.

De scopo postulante sanguinis detractionem,  
qui morbi magnitudo statuitur. CAP. XI.



**M**agni magnitudo, magnum poscit praesidium, ut aequis numeris omnis curatio prodeat, iuxta Galeni decretum, libro Artis medicinalis. Magna praesidia sunt, sanguinis missio, & expurgatio, quae à morbo magno petuntur ambo: neq̄ enim ob exiguum malum, tantā vim naturae inferre licet. Per morbum autē magnum, non intelligimus acutū: nam etiam in chronicis locum habet venae sectio: & morbi magnitudo quae sanguinis missionem postulat, non repugnat morbis diutinis, ut lib. 4. Acutorū com. 19. Galenus est autor. Dicitur autem morbus magnus apud Galenum quarto libro Methodi, tripliciter. Primo, cum in propria essentia sortitur magnitudinē: ut acutae febres, podagra, lues gallica, quaeuis ingens inflammatio. Secundo, cum ~~corrosiva~~ siue malignitate insignitur: nam etiam si exiguus in sua essentia sit morbus, difficilē sanatur ob malum morem: ut cancer, pestis, vulnera articularū, & quae chironia & thelephia dicuntur: horum nanq̄ malignitas pēdet, aut ex prauorum humorum influxu, aut ex affectae partis qualitate. Atq̄ haec, etiam si plurimum non crescant, sunt plaris habenda, ob rebellionē & contumaciam sanitati inimicam. Tertio, dicitur morbus magnus, cum nobilem aliquam partem, & maximē necessariam obsidet. Nam inflammatio quantumcunq̄ parua in corde, hominem perdit. Vulnus in capite etiam exiguum, non vacat periculo. Ulcus pulmonis qualecunq̄; pertimescendum est. Pleuritis partem infestat quae habet officium princeps, est enim pleura vnum ex spirandi instrumentis, 2. lib. de Crisibus, autore Galeno. Iam verò quia contrariorum eadem est disciplina, tribus item modis enumeratis parui morbi dicuntur: quippe aut parui sunt in suo genere, aut bene morati & signis firmati securissimis, aut ignobilem partem occupant. Siquidem omniratione morbus sit magnus, extremum poscit praesidium: si paruus, aut nullum aut exiguū: si quadam ratione magnus, alia paruus, aestimandae atque librandae sunt indicationes: & pro ratione supputationis praesidium admoueat, magnum, paruum,

aut

aut mediocre. Sic enim Galenus, licet pleuritis omnis, morbus magnus sit, ob partē quam afficit: si in suo genere sit leuis, & signa habeat secura, à sanguine mittendo abstinet, leuioribus contentus. 6. lib. Epidem. parte. 3. com. ultimo, ubi ita scribit.

Quendam egrotantē intuitus sum, qui me ut sanguineo sputo vexatus accersuit: sed cruenta ob lateris affectum expuebat. Sputum igitur ego cōspiciēs, ipsum interrogavi, num aliquem dolorem in latere sentiret? ipse vero exiguum se dolorem percipere fassus est. Talis autem erat eius habitus atq; vires, ut si sanguinem expuisset, quoniam morbi magnitudo vrgeret: ad secundae venae auxilium accedere ausus essem. Sed cum morbus lateralis mitis admodum foret, necesse non fuit: ideo neq; id genus remedijs adhibuimus. Atq; euidenter hominem hunc, lateris morbo laborare cognouimus, & alijs huic morbo congruentibus remedijs, citra venae sectionem subleuatus est: mitissimi enim illi sunt, in quibus cruenta sputa eijciuntur. Morbi ergo magnitudo (ut supra quoque diximus) poscit magnitudinem praesidij, & species morbi, speciem auxilij: siquidem magnus morbus fuerit ex sanguine, aut in eo concurrat aliqua utilitates ex memoratis capite sexto huius tractationis, sanguis venit detrahendus: si ex alijs humoribus, pharmacum est adhibendum: si utraq; concurrant, utroq; est utendum auxilio. Id verò nō modo postulat magnus morbus praesens, sed etiam imminens, ut futurum ipsum ante quā fiat auertamus: ut in eo qui ab alto cecidit, & in eo qui pleuritide, aut alio morbo, statis temporibus praehendi solet. Praetereo hic quorūdam in Galenum cauillationes, qui morbi malignitatem, & partis praestantiam, à magnitudine diuersas statuunt: eo quod malum morem, à magnitudine separat Galenus. 3. libro de Crisibus, & quoniam in parte principe paruus morbus cōsistere potest. At diximus nuper, paruum & magnum morbum, iuxta triplicem significatum posse inuicē cōmisceri: ut in pleuritico de quo agit Gal. 6. Epid. parte. 3. com. ult. citato. Tertio vero libro Crisium, malum morem distinguit à magnitudine, quoniam ea distinctio ad praesagia est utilis. Ibi enim magnitudinē intelligimus, quoties vires, incrementum, ac vehementiam morbus sumpserit: malum morem, cum malignus ac ferē ex sua natura exitialis fuerit. Quarto vero libro Methodi, non distinguit morem à magnitudine, quoniam non variant curatiuam intentionem: siquidem tam malus mos, quā morbi magnitudo, indicant euacuationem, aut inanitionem esse administrandam: ut eodem quarto libro Methodi, aperte Galenus docet. Distinguntur igitur ad praesagia: confunduntur verò ad curatiuas intentiones, siquidem vtriusq; est vna intentio vacuandi.

Quot sint roboris virtutis, & magnitudinis  
morbi copulae, & quid in vnaquaq; earum  
sit faciendum.

CAP. XII.

Morbi





**O**RBI magnitudo, una cum robore virtutis primi mittendi sanguinis scopi fuerunt, illa quidem quae facere oportet indicans, hic vero tanquam illum haud impediens. His auctis maior indicatur vacuatio, imminutis vero tantum de quantitate vacuationis est detrahendum, quantum illi imminuti fuerint, libro de Sanguinis missione cap. 13. autore Galeno. Siquidem ingens morbus & validissima virtus iungatur, integra & absq; omni metu fiat vacuatio. Si cum morbo magno iungatur imbecillae vires, desperandum est de salute, & nullum potens remedium est adhibendum, ne in medici vituperium vertatur medella. Nisi forte per menses aliquot, vitam posse produci speres: tunc enim poteris cum praefatione curam aggredi. Nam simili protestatione facta, calidum mare solum refrigerat Galenus. 10. lib. Meth. ut in senium ex morbo commutet ipsum, & diutius vivat aegrotus. Vacuatione autem nulla in hoc statu utesis, quoniam eam imbecillae vires non ferunt. Si morbus vero magnus, cum mediocri virtute iungatur, vacuandum est minus, quam morbus postulat, & statim nutriendus & reficiendus est aeger. Quo restituto iterum est vacuandum, & per intervalla iterum, atq; iterum vacuare, & reficere oportet. Haec etenim est per Epicrasin vocata medella, quae cum longiori tempore opus habeat, longioribus etiam morbis magis est idonea. Si morbus vero fuerit exiguus, praeter commo- dam victus institutionem, non indiget medicamentis, praesertim vacuantibus. Sed sufficient, balneum aquae dulcis, exercitium, frictio, clyster, balanus. Nam morbum exiguum levia sanant auxilia. Vires autem quae cum morbo exiguo iunguntur, si validae fuerint, ipsae sufficient solae: si mediocres aut imbecilles, dicta victus institutionem citra noxam tolerabunt.

**An ambientis calor, inter praecipuos scopos mittendi sanguinem numerari debeat. CAP. XIII.**



**M**orbo, etate, & viribus, quod mittendus sit sanguis, cognoscitur: nam reliqua non indicant de sanguine mittendo, aut abstinendo: sed quantitatem sanguinis extrahendi, aut augent, aut minuunt, libro de Sanguinis missione, cap. 9. autore Gal. Haec vero sunt plethorica vocata Syndrome, ambientis nos aeris temperatura, in tempus & regionem diversa, & quae in antea acta vita circa ciborum, tum quantitatem, tum qualitatem acciderunt, excretiones item, ac motiones, aut factas, aut non factas. Contra vero eodem libro, cap. 20. quatuor docet esse consideranda, continentis scilicet caliditatem, & reliqua tria quae primo enarrat. Sic enim scribit. Quocumq; die mittendi sanguinis scopos, in aegrotante inueneris, in eo praesidium hoc adhibeto, etiam si vigesimus ab initio morbi dies fuerit. Qui nam vero fuerunt hi scopi? magnus morbus, virium robur, excepta etate puerili, & ambiente nos aere admodum calido. Quod etiam cauit lib. 1. ad Glauconem, cap. 12. ubi refert omnes interyisse,

**de vacuandi ratione.**

interyisse, qui nihil de tempore cogitantes, in feruentissima aestate sanguinem misserint. Quare videtur non tres tantum, sed quatuor esse sanguinis mittendi scopos praecipuos, qui non modo de quantitate, verum etiam de sanguine mittendo, & abstinendo indicent. Cui sane responsum sit, quod calor ambientis constat ex regione, ex anni tempore, & qualitate superueniente. Horum singulum si per se consideretur, ex postremis est indicationibus, nec venae sectione prorsus prohibere potest. Sicq; remanent tres tantum scopi primi. Verum si in unum coeant, fiatq; ex his omnibus continens calidissimum, quod & in caeteris accidit: ex pluribus postremis, una propemodum fit indicatio prima, quae de non mittendo prorsus sanguine indicat. Quod voluit Gal. aperte. 1. ad Glau. cap. 12. ubi ita scribit. Ob haec igitur neq; in locis supra modum calidis, aut frigidis, sanguinem mittere audemus: sed si regio ipsa, & temporis status consentiunt, omnino abstinemus. Cum vero non consentiunt, euacuamus quidem: sed multo minus, quam si neutrum prohiberet. Hic vero aduertere expedit, quod plurimum interest inter tres scopos priores, & hunc quartum. Illorum enim indicatio est necessaria, & nequit a medico impediri. Huius vero indicationem diligenti apparatu adhibito impedit. Nam quatumcumq; aer feruidus sit, potis est medicus, commoda habitatione, irrigatione ex aqua rosacea et aceto, fonte arte facta ex aqua gelidissima ibi saliente, sandalis, caphora, rosis, papinis vitium, salice, atq; similibus inspersis, aerem temperare. Quibus si victus accedat frigidus, frigidamq; medicamenta, intus & extra adhibita, audacius iam venam tudemus. Ego sane hac usus providentia, nunquam ob continetis calorem, a sanguine mittendo prorsus abstinui: nec aegris nostris male unquam ob id cessit. An vero praeter aeris insignes qualitates, occultae aliae ex astrorum aspectibus sint cauenda, ut sanguinem mittamus, aut expurganti medicamento utamur: satis superq; dictum a nobis est in appendice astrologico: ad quem lectorem isthaec discendi cupidum remittere quam quae illic traduntur repetere, satius decreuimus. Reliqua vero de indicatione continentis, dicentur infra capite. 21.

**An crudi humores quartum scopum constituent, & sanguinem penitus mittere prohibeant. CAP. XIII.**



**L**ibro de sanguinis missione cap. 9. postquam tres dictos scopos statuerat Galenus, latenter obijcit in hunc modum. Crudorum humorum copia sanguinis missionem impedit: ergo ad hos quoq; medicum respicere oportet: & non tantum ad tres scopos memoratos. Cui respondet, quod habitus sermo de scopis, non redarguitur propter crudos humores coaceruatos in corpore: quoniam ubi copia crudorum humorum tanta est coaceruata, ut sanguinis missionem prohibeat, robur viribus non adest. Id quod manifeste pulsus illorum, una cum colore totius corporis, qui crudum sanguinem abundare monstrat (est autem is ut sequenti capite docet plumbeus, aut ex pallido candidus) significat. Quippe is in vehementia & magnitudine est



est inaequalis: atq; in ea inaequalitate, pulsus debiles & parui, superant magnos & vehementes. Hic verò sunt quidam, qui ex impossibili, (vt ipsi dicunt) hypothese argumentantur, inquirentes num si adesset morbus magnus ex cruditatibus, cum virtutis robore, sanguis mitteretur? Et quaesito respondent constare, quod nequaquam in eo statu sanguis esset mittendus. Mibi verò contrarium planè constare videtur: nam Galenus loco citato, non ob aliud à sanguinis missione abstinet, quàm ob imbecillitatem: hanc ergo si in tua hypothese auferas, non est cur à sanguinis missione abstineas. Vnde cum cruditas nò est tanta vt pulsum valde deiciat, per interualla vena est tūdenda: & intermedio tempore extenuantia medicamenta adhibenda, vt Gal. nos docuit lib. de sang. miss. cap. 12. Vbi ita scribit. In quibus igitur multa vacuatione est opus, vires autè sunt imbecilliores, in ijs vacuationem recondere cōuenit: quemadmodū nimirum & me in ijs qui crudorum humorum copia laborabant, facere cōspexistis. Nā pauco sanguine vacuato, protinus mulsam probè coctā, cum extenuantium medicamentorum quopiam, aut hyssopo, aut origano, & nonnunquā calamintia, aut pulegio exhibeo: aut cum mulsā, oxymelli, aut oxyglycy. Deinceps rursum sanguinem aufero, interdū quidem eodem die, interdum verò postero: in quo rursum similiter praedictorum medicamentorū quodpiam exhibens, iterum sanguinē detraho: ac tertio die similiter bis. Quare scire oportet, quod crudorum humorū (apud Galenū) triplex status reperitur. Primus cū tāta est ipsorum copia, quod vires ex ipsis reddūtur deiectae, pulsus inaequales, et inualidi, color totius corporis, aut plūbeus, aut ex pallido albus. In quo statu sanguis nò est mittendus, quoniam vires non constant, vt scribitur lib. de sang. miss. cap. 9. Et de hoc loquutus est Aui. 4. 1. cap. 20. in haec verba. Et debes scire, quod non quotiēs nominata signa repletionis apparuerint, oportet vt minuas: immò quandoq; est repletio ex humoribus crudis, & est tunc plebothomia multum impediens: quoniā si minueris, non maturabis eos, & timebitur ne eger perdat. Secundus status est, quādo humores crudi sunt tam pauci, vt illorū proptam confectionem speremus. In quo etiā vena non est tūdenda, quod in probū sanguinē verti possit crudus is humor, vt. 4. de Sanit. tuen. cap. 9. Gal. est autor. Inter haec verò extrema, tertius status est medius, in quo nec vires lāguent, nec possunt succi crudi confici. In quo Galenus per interualla venā secare iubet, & extenuantibus vti.

Hic verò aduertere expedit, quod in curatione eorū qui crudis succis laborāt, sunt expendēda quinq; Viriū scilicet robur, & imbecillitas: quātitas humorū crudorū: modus cruditatis: locus in quo consistunt humores crudi: & ipsorū crudorum humorum effectus in corpore. Siquidē facultas sit validissima, non exigua est spes crudos succos cōcoqui posse. Qui si fortè fortuna nò coquātur sanguinis detractionē firma facultas poterit tolerare. Si facultas verò sit imbecillis, nec crudos succos poterit coquere, nec sanguinis detractionē ferrè. Si verò cū mediocri facultate crudi succi cōsistāt, mediis saepe redditur status, in quo crudi nò possūt prorsus coqui, et facultas

facultas sanguini mittēdo nò est omnino inualida: quare per interualla & vacuare, & extenuare, atq; coquere oportet: vt è capite. 9. libri de sang. missione retulimus.

Consideratio quātitatis crudorum, nò est tantūmodo simplex: multi ne, an pauci sint crudi humores per se, sed multo magis in cōparatione ad bonum sanguinē. Nam quāuis plurima adsit cruditas, si bonus sanguis copia vicerit, parua existimatur: sicut magna, cū bonus sanguis fuerit paucus, & eius cōparatione crudi humores plurimi. De quo statu ita scripsit Gal. 4. de San. tuen. Inspicere verò & quātitatē cōueniet: vt verbi gratia, si bonus sanguis exiguus sit, reliquus verò succus plurimus: vtiq; in his abstinendum à detractione sanguinis est. Sin is quidē exiguus, sanguis verò copiosus: audacter incidenda vena est. Et rursus infra ita scribit. Ceterū si in laso corpore sanguis bonus exiguus sit, crudi humores plurimi: huic nec sanguis mittendus, nec alui deiectio, aut exercitatio, aut omnino motus, aut balneum adhibendum. Quippe incisa vena bonū sanguinē emittit: malū qui in primis maxime venis circa iecur, & quod mesenterium vocāt colligitur, in totū attrahit corpus. Deiectio verò in talibus tormina, & rosiones creat animiq; deliquia, cū eo quod nec notatu, quippiā dignū educit: quoniā crudi omnes succi pigri, atq; ad motum inepti propter crassitudinē frigiditatemq; sunt. Quo fit vt etiā omnes angustas vias obstruāt, per quas id quod medicamentū deicit ferrī ad aluum debeat: itaq; neq; ipsi educātur, & alijs sunt impedimēto. Quibus verbis luce clarius ostēdit Galenus, quid in cōsideratione quātitatis facere oporteat. Modus insuper cruditatis in considerationem vocari debet, nā (vt autor est Gal. 4. lib. de San. tuen.) sanguis est in medio bilioso, atq; crudorū. Biliosi autē ex sanguine fiūt vbi supra iustū modū est percoctus. Crudi verò ex sanguine nondū perfecti. Cuiusq; autē eorum plures sunt differentiae, alij priusquā ad exactum sanguinē perueniāt veluti semicocti sunt, alij porsus incocti crudiq;, alij paulo absunt à sanguinis forma. Rursus alij sanguinis faciendi, siue (vt ita dicā) sanguificationis veluti vltima pars, qui vtiq; excessu caloris proueniunt. Quorum alij paululum, alij plus, alij plurimum à sanguine receperunt. Vbi paululū vel citra sanguinē restitum, vel vltra processum est, audacter mittēdus sanguis est. Vbi plus, cōsideratius agendū. Vbi plurimum, in his nullus omnino mittendus est. A loco verò in quo humores crudi abundāt, non exigua sumitur agendorum insinuatō. Nā aut in cute sola, aut in mēbris, aut in vasis post iecur, aut in vasis ante iecur, aut in quibusdā horum, aut in omnibus his consistunt. Si in primis venis consistant, à sanguinis missione sunt arcendi. Nam vt paulo ante retulimus, ex 4. de Sanit. tuenda. Incisa vena bonum sanguinē emittit: & malum qui in primis maxime venis circa iecur, & quod mesenterium vocant colligitur, in totum attrahit corpus. Quare seruandi hi sunt in omni quiete, dandaque ipsis, potio, medicamentaque sunt, singula eius generis quae attenuent, dissecent, & conficiant succorum crassitudinem, idq; citra manifestum calorem. Nam qui ex calfacti vehementius succi sunt: ij in omnem corporis partem feruntur. Ergo nutries hos maxime oxy-

mellite, aliquando etiam ptisan.e, & mulsi exiguo quopiam: sustinet enim hi victu, si modo alij vlli tenuem, ipsa nimirum crudorum copia, quos paulatim concoquunt, ad corporis alimentum abutentes. Quonia autem precordia istiusmodi omnibus tur gida inflataq; sunt, ac facile quidquid assumpserint in flatu vertitur, non inutile fuerit, longi piperis aliquid cum cibo dare: quippe quod flatuosi spiritus crassitudinem soluit, & quae in precordijs pigra sidunt, ad ventrem depellit, & concoquendis quae sum pferis subuenit pro comuni piperum ratione. Quod si huius copia non est, utiq; albo vte dum: quippe quod supra duo reliqua genera ventrem roborat. Sin hoc non adest optimu nigrum petendum est: id vero fuerit quod podere praecellit. Sane vtilius sit, & diospolitico medicamento vti, cuius compositio duplex est, alijs ex paribus omnibus cumino, piperi, ruta, nitro, potestq; ita magis ventrem soluere: alijs cum reliquorum pari pondere, miscetur nitri dimidium. Inter nostras vero compositiones quae communiter in tabernis parat.e reperiuntur, diaciminum non valde differt a diospolitico: pondera tamen sunt diuersa, & praeter illa quatuor diaciminum recipit zinziber, byssopum, cinamomum, ammiu. De secunda compositioe loquor a Mesue in suo antidotario posita, non de prima, nec de altera Nicolai: haec enim nec recipiunt nitrum, nec valde similes sunt, quonia multa calidiora, & tenuium partium recipiunt, ex quorum vi timendum est, ne crudi humores in vniuersum corpus ferantur. Appositum quoq; remedium sic affectis est, quod ex tribus piperibus ana drachmis quinquaginta, anisi, thimi, et gingeris, ana drachmis octo conficitur, & simplicissimum quidem hoc est. Etiam hoc ipso magis simplex, a quo ginger detrahitur est. Alterum vero est, quod ex eisdem conficitur: veru ad cuiusq; trium piperum drachmas quinquaginta, reliquorum cuiusq; sexdecim drachmarum inijcitur podus, nepe anisi, thimi, & gingeris. Quo etiam ad proposita vtimur comodissime, non semel bisue quotidie, sed etiam saepe. Siquidem mane, & ante cibum, & post etiam cubitum eantibus recte datur cochlearij pleni mensura. Atq; huius quidem vt paruis parui, & maximis maximi, ita medijs ad portionem. Praeterea etiam ginger adhibemus, quod ex barbaris afferebatur Galeni tempore aceto statim a collectu maceratum: nunc vero maiori gratia melle aut saccharo conditum affertur. Quanquam autem calida sint eiusmodi medicamenta, non eatenus tamen vt crudos succos transumerent in corpus faciant, extinguitur enim eiusmodi medicamentorum calor, circa ipsas primas venas, nec in totum perfertur corpus, veluti aliorum quorundam. Cuiusmodi id medicamentum est, quod diacalaminthes (propterea quod calaminthem recipit) vocat. Oxymelli etiam istis est vtilissimum, pro cuiusq; palato confectum. Nam melli despumato, tantum aceti coniicies, vt gustanti nec acidum nimis, nec dulce videbitur. Tunc super prunas coquet, quoad plane vnitae amborum qualitates sint, nec appareat gustati acetum adhuc crudum. Hinc ab igne depones: cumq; vti roles aqua ei miscebis, ita temperas vt vinum. Ergo qui bibet, si nec de acore eius quaritur, nec dulcedine: assidue eo vtatur. Sin alterutro offenditur, adiecto quod desideratur, rursus id coques. Vtilis etiam est mulsu, & oxyglycy, vt lib. de sang. mis. cap. 12. Gal. est auter.

est autor: est autem οξυγλυκω Gracis vox composita, nihilq; nisi acetum dulce, aut mustum significans, perinde atq; οξυμυρα id est acetum mulsu. Componitur autem oxyglycy, ex musto & aceto, adiecta etiam interdum aqua potabili cocta, vt ex Constantino, lib. 8. de re rustica, cap. 35. Refert Fuchsius in commentario ad dictum Galeni locum. Nisi quis (inquit) oxyglycy esse mistionem quandam ex aceto, & vino passo, quod Gracis γαυω dicitur cotendat. Quod tamen parum retulerit, siue enim ex musto & aceto, siue ex passo & aceto misturam intelligas, oxyglycy acetum dulce erit: quippe etiam passum vinum est dulce, quod ex passis ferè vis, & diutius in sole seruatis fit: & est quod nos Hispano vocabulo appellamus bastardo. Galenus tamen. 2. de fract. com. 29. oxyglycy aquam mulsam austeram esse docuit: fieriq; ex dulcissimis fauis postquam ab eis mel est exemptum in aqua maceratis, ac coctis, memoriae mandauit. Quod Fuchsium aduertisse praestiterat. Ex dictorum sane medicamentorum vsum, crudi in primis venis humores inciduntur, extenuantur, atq; coquuntur. Quod si integram coctionem, vt sanguis fiant, forte fortuna non sit datum attingere, vomitione, aut deiectione, facile deturbabuntur e corpore. In quem vsum, leuia vomitoria, & acriora quaedam clysteria, quae intestina irritent, mordeant, atq; deradant erunt vtilia. Qualia sunt quae ex decocto anethi, rutae, & centaureae, sale gemmeo, aut nitro composituntur, aut ex oliuarum conditura, aut ex aqua in qua pisces saliti diu fuerint macerati: haec enim plurimum salis recipiunt, & eius ratione intestina mordent & mudent, quibus emundatis facile ex primis venis crudi humores in ipsa feruntur, iam ex alijs medicamentis attenuati.

Si in cute, atq; membris extra vasa, sint crudi humores, nec vena secunda, nec pharmaco, aut vomitu est vtendum: cauendus enim est vterq; reuulsus. Et sicut quae in primis venis sunt, vltra iecur progredi cauimus: ita quae foris sunt, ne rursus ad vasa remigrent cauemus. Quare exercitio, frictione, balneo, fomento calido, & vntione calfaciente sunt curandi: ira insuper & (vt vno verbo dicam) omnibus quae spiritus, & innatum calidum, in partibus externis suscitant. Si vero in vasis corporis sedet, vtedum est coctione si coqui possunt, tenui victu & somno adhibitis. Si coqui nequeunt & facultas tollerit, vacuatione sanguine misso per interualla vti oportet. Nam expurgati medicamento cruda non cedunt: venae sectione vero, praesertim si praemittatur extenuantia facilius vacuantur: eod quod sanguinis detractio non requirit coctionem praeeuntem, sed sibi suffecerit crassorum aliquantula extenuatio, vt commodius per venam sectam fluant humores. Si autem vniuersum corpus occupent, vasa scilicet corporis, primas venas, & membra: omni est vtendum auxilio, coctione per somnum, & tenuem victum, & extenuantia medicamenta: vacuatione per aluum, supra & infra, eius cruditatis quae in primis est venis: qua semota, vena si oportuerit per interualla secetur: sic enim e magnis vasis, crudos humores elides. Postremo quae in membris sunt collectae, frictionibus, balneis, ac alijs, quae calorem in externis partibus suscitare diximus sunt dissipanda. Atq; haec est quam locus suggerit indicatio.

Dicitis adde considerationem alteram effectus humorum crudorum in corpore, nam interdum pariunt morbos, & alias eosdem minantur. De quo libro de Sanguinis missione cap. 10. sic scribit Galenus. Crudis autem humoribus abundantibus, antequam aegrotare inciperint caute vacuabis, ubi verò iam febricitant, ut antea dixi nequaquam. Nam in uniuersum, si cõparemus actum praeuisionis curationi, securius multò fluit sanguis in sano quàm in aegro, indicatione conuersa ad vires, quæ in sano valent magis, in decumbente minus. Quod voluit Auic. 4. 1. cap. 20. ubi ita scribit. Et debes scire, dum istæ ægri tudines timentur, & nondum in eas ceciderint, plus secure eis cõceditur minutio: & cū in eas ceciderit, in earū principio phlebotomia penitus, idest copiosa dimittatur. Dimittatur inquã non absolutè, sed collatione facta, ad illã quæ potuisset fieri ante aduentum morbi. Cum autem in omni morbo verum sit, actū praeuisionis securiorè esse actū curationis, præsertim in vacuatione obeūda: est in humorum crudorum copia ipso vero verius: adeo ut morbo iam præsentè, in præsentia crudorum nullatenus sit vacuatione utèdum. Nam cum humorū crudorum copia, parum valet facultas: & quò diutius in corpore dicti humores perstiterint, eò inualidior ex eis redditur virtus nostrum corpus gubernans, grauato ab eis, ac ferè extincto innato calido. Innati autem calidi defectu, humores illi nec coquuntur, nec in sanguinem vertuntur: sed derelicti putrescunt, & febrem faciunt. Quo iam tempore adeo est imbecilla facultas, ut sanguinis detractionem non sustineat. Ob idq̃ reuèrte consuluit Gal. cap. 10. libri de sanguinis missione, quòd ubi iam febricitant, nullam vacuationem moliamur. Et cap. 6. eiusdem libri, in eandem ferè sententiam, ad hunc modum scripserat. Si verò degrauans plenitudo infestat, nò semper sanguis detrahendus est. Fieri enim potest, ut crudus per corpus sit coaceruatus humor: in quo exquisitè attendere oportet, quantum valeat virtus, & quantum ipsius humoris sit genitum. Quippe prius exoluta ab eiusmodi affectibus virtus, per sanguinis missionem in extremum malum recidere solet, ut nequaquam ipsa postea reparari queat: quod si factum fuerit, periculum haud leue sequitur. Præsertim si æstiuâ cõstitutione, stomacho male habente febris accesserit, aut uniuerso corpore natura molli, & temperamento humido existente. Hi enim promptè discutiuntur, celerrimeq̃ animi deliquium incidunt, etiam si magna febris haud accedit. Et hinc est quòd Galenus. 12. libro Methodi, febres ex crudis humoribus ortas sola frictione curat, & ab omni alia vacuatione abstinet. Labet autem hic eius verba transcribere, quò lucidior fiat sententia. Quæ verbum ex verbo ita habent. Ergo febricitare incipiunt nonnulli, ubi maximam crudorum succorum copiam, vna cum oris ventriculi (quod sanè stomachum vocant) offensione, vel ex cruditatibus, vel alia quappiam occasione con gesserunt. His & præcordia inflata, & totum corpus ampliore mole, quàm pro naturæ modo cernitur. Tū color alijs quidè ad albidius, quàm pro naturali habitu, & intercute aqua laborantiū magis simile est mutatus: nonnullis etiã ad nigrius aut liuidius, quos quidè medici plūbet coloris appellāt. Omnibus pulsus minores sunt quàm pro colo-

caloris ratione. Præterea obscuri omninoq̃ inæquales, sepe ea inæqualitate quam Græci vocāt, semper verò ea quæ in vno est ictu. Nulli talium sanguis mitti sine maximo dispendio solet: cum tamen vacuationem desiderent. Verum nec sanguinis missionem nec purgationem sustinent: ut pote quos sine his, syncope subito adoritur. Quæ nam igitur est ratio talibus medendi, qui cum vacuari postulent, vacuantia præsidia non ferunt? Sanè nullam aliam his idoneam vacuationem inueni, præter eam quæ ex frictione paratur. Incipere verò in principio statim morbi oportet: ac primum à cruribus supernè deorsum, idq̃ linteis non admodum mollibus sed aspredinis mediocri quid habentibus: debet enim radi ab his cutis, cum simul & calesceri per eam, & digeri ægrotus postulet. De in tota brachia ab humeris vsq̃ atq̃ supernè deorsum simili modo sunt fricanda. Vbi verò artus omnes abundè calere videbuntur, & metus fuerit ne quis ex multitudine frictionis, contussa iam carne, lassitudinis sensus ipsis superueniat, oleo relaxate vteris, quod genus est sabinū: ab adstringente verò abstinebis, cuiusmodi hispanum est, histriciq̃, & quod vna cum germinibus, vel ex oliua adhuc immatura conficitur. Hyems verò si fuerit, nihil deterius sit, si ad digerentiū aliquod trãseris, cuiusmodi sicyoniū est, aut quòd cum chamæmelo cõponitur, aut quod apud Aegyptios est in prætio. Quod si horū copia nò sit, oportebit accepto relaxantiū oleorum aliquo, & in quo nulla sit adstrictio, potissimumq̃ quod est antiquius, immittere ipsi anethi quod videbitur satis: mox ut ipsi solemus (ubi in vase duplici tantisper calcecerit, dum mediocriter qualitatem herbæ imberit) ungerere hoc artus & fricare, tunc quoq̃ quamplurimum debebis. Postea oleum quoniam tedium afferat, detergere, atq̃ ad spinam dorsi transire, hancque totam pariter fricare, primū sicca frictione post oleo: ab hac rursus ad crura te conferes, & ab his ad brachia, ex in denuo ad spinam, ita totum agens diem, in domo pure lucis, nec madente. Hæc Galenus, & alia etiam quæ præsentem statum concernunt scribit. Quibus luce clarius apparet, quid in medella crudorum succorum faciendum sit ante febrè, & quid cum febrè creant. Hunc Galeni locum legerat Auerrhois, sectione tertia Collectaneorum, capite vltimo, qui ut parum erat in Galeni lectione exercitatus, ita ipsi Galeni erroris insimulandi semper fuit animus. Placet autem ipsius verba subijcere, ut quantum ponderis habeant æstimemus: quæ sic habent. Galenus noster febres à succis viscidis ortas, sola frictione sanat: quod te contemplari accuratè volo. Quid enim oberit, quominus succi in totum corpus diffundantur tali frictione? Quin etiam ille ipse, libro de Sanitate tuenda, lassitudinè hominis cuius corpus plethoria laboret, & succis viscidis sit refertū curans, prohibet ne exerceatur, villo ve motu valido agitetur, neue fricetur, neue lauetur: frictio etenim quæ sub cute sunt: & inter musculos vacuat, at quæ in venis continentur, purgatione tantum educuntur. Quod si per sanitatem quis frictionem adhibeat, ita vehementiorem, quam præcepit Galenus, abscessus sane atque vlcera necessario per summa cutis erumpent. Hæc Auerrhois. Sed ô ridiculum caput, quid scilicet contingere



posset homini febre syncopali ex succis frigidis orta laboranti, ubi nullae alterae vacuationi datur locus, propter imbecillitatem, & animi deliquia: quam quod succi per vniuersi corporis habitum diffundantur, & tubercula atque vlcuscula creent, relictis principibus? In libro vero de Sanitate tuenda, de sanis, ac neutris corporibus agit, in quibus aliae vacuationes, & sanguinis missio ac expurgatio obeuntur, & in eis fuerit nefas prauios succos ad cutem traducere: fierent enim tubercula, & vlcuscula, ex frictione aut exercitio, iuxta illud Hippocratis 6. lib. Epidem. par. 5. com. 34. Vlcera exoriuntur si immundas laboret. Latius forte quam par foret, orationem nostram produximus, quoniam a nemine (quod sciam) isthaec fuerunt animaduersa. Breui autem colligentes, sanguinem mittemus crudis humoribus abundantibus, si non occupent primas venas, sed eas quae sunt post iecur: si non multum distent a sanguinis forma: si morbum minentur, & adhuc non faciant: si bonus sanguis non sit paucus: si facultas non sit inualida. In contrarijs statibus abstinendum. In amborum miscella, libradae sunt indicationes, & statim est potentiori, altero non spreto. Quod tamen rarum medicum poscit, non vulgarem, sed doctum, expertum, & felici natura praeditum.

**An vteri gestatio sit inter praecipuas obseruationes habenda, tum ut venam secemus, tum etiam ut expurganti medicamento utamur. Et vtra vacuatio sit periculosior. Et de nostris pharmacis benedictis appellatis.** CAP. XV.



**V**T cumq; mulier grauida plurimum euacuetur, & per quamcumq; regionem, siue ab arte, siue a natura, talis fiat vacuatio, periculum est abortus. Primo, quoniam ingens vacuatio alimētum subtrahit foetui. Secundo, quoniam spiritus, humores, & vterum conturbat, acetabulaq; dissoluit. Tertio, quoniam vteri contentricem, & vim foetus qua ipse se sustinet, imbecillioem reddit. Vnde quinto libro Aphorismorum sententia trigesima quarta, ita scribit Hippocrates. Mulieri grauidae si alius nimis profluat, periculum abortus est. Et sententia quinquagesima secunda. Si mulieri in vtero habenti, lac multum ex mammis fluat, debilem esse foetum significat. Et sententia sexagesima. Si mulieri vtero gerenti purgationes fluunt, non potest foetus esse sanus. Quare periclitantur de abortu. Hinc auctores, dum vtero gerentibus medentur, suspecta & maxime formidanda esse censent, inediam, venae sectionem, & expurgans medicamentum. Nec tamen ab eisdem abstinere, vacat suspitione: nam si ut non praegnantem, parce nutrias, phlebotomes, & expurges, perditur foetus: sui huius habita ratione, liberalius illas cibus, & a venae sectione atque expurgatione abstineas, in discrimen ipsa praegans adlucitur. De inedia

inedia id scripsit Galenus primo Epidemiarum, parte tertia, comment. penultimo. De venae sectione Hippocrates, quinto Aphorism. comment. 31. De expurgatione idem Hippocrates, quarto libro Aphorismorum, commentario primo. Et rursus ob vtilitatem eandem sententiam repetiuit quinto libro Aphorismorum, comment. 29. Quibus locis, expurgantia medicamenta vetat grauidis, nisi humor turgat. Eo vero turgente, iisdem vti concedit, tribus mensibus medijs: non primis, neq; postremis. Primo, quoniam acetabula quibus foetus alligatur vtero, primis tribus mensibus sunt mollissima, & vltimis friabilia, vt exemplo fructuum ad suas plantas Galenus illustrat. Hi siquidem in prima generatione debilioribus capulis continentur, & ideo facile decidunt, quando vehementior ventus ipsos concusserit: posthac autem etiam, difficilem habent a plantis dissolutionem: sicuti rursus cum perfecti sunt, sponte sua sine vi extrinseca decidunt. Eodem modo & conceptus, in primo quidem tempore a seminis iniectione, si quando saltare contigerit mulierem, aut in lubrico cadere, siue quouis alio modo, vel animo, vel corpore, moueri vehementius, facile disrumpuntur: sic etiam & cum iam perfecti sunt: tempore vero intermedio firmiter habet coalitum. Quare mulier vtero gerens potest medijs mensibus expurgantia medicamenta sustinere, non autem primis, aut postremis. Secundo, quoniam vt autor est Gal. 2. lib. de victus ratione in morbis acutis com. 12. in omni purgante medicamento est vis deleteria, quam foetus non poterit tolerare, nisi dum firmus fuerit, & firmis nexibus illigatus. Tertio, nam semel vorato medicamento, metus est ne plus in flo vacuet, 2. lib. de victu acut. com. 11. auctore Gal. Ad immodicum autem fluxum sequitur abortus, Hippocrate auctore, 5. Aphor. com. 34. Quarto, ob maximam consensum vteri cum intestinis, cuius ratione tenasmus facit abortire apud Gal. 7. Aphor. com. 27. Accedit & vltimo, quod musculi abdominis, qui comprimunt ventrem cacantis, non possunt absolui a compressione vteri, nam & iisdem musculis solet inuari naturalis partus. Obhaec sane expurgantibus medicamentis non esse vtilium (nisi materia turgat) medijs mensibus foetationis voluit Hippocrates. Quem sequuta est omnis antiquitas, vno Auerrho excepto, qui septimo libro colliget, capite quarto, tribus matus rationibus, prorsus expurgantia medicamenta deuitat grauidis, Prima, quia medicamenta purgantia deleteria sunt, ac venenosa, quae foetum tenerimum internecabunt. Secunda, quoniam purgantia mouent humores ad vterum. Tertia, nam omne purgans (inquit) mouet vrinam, mouens vrinam trahit menses, quod trahit menses facit abortire: & ex consequenti nullum purgans est propinandum. Sed haec Auerrhois rationes, sicut & quae a nobis sunt ante dictae, solum ostendunt periculum in purgatione grauidarum. Ob idque ab Hippocrate non adhibentur purgantia, nisi vbi foetus, & acetabula sunt firma, & valent resistere iniurijs dictis: & vbi maius periculum deuitamus ex humore turgente, quam incurrimus ex malitia, & vi medicamenti purgantis. De Auerrho vero maxime miror, qui quod bonas antiquorum literas pessumdet, suimet obliuiscitur, & falsa assumit.



Nam quinto colliget, capite de rabet, de eo ipso ita scribit. Et Galenus, & alij medici dicunt, quod constringit ventrem, & nos videmus quod purgat, & est mirabilior alijs medicinis purgatiuis, quia frenum suum est cum eo: quoniam nulla medicinarum purgatiuarum est sine veneno aliquo in aliqua parte sui ista excepta, eo quia confortat omnia membra corporis. Ideo possumus dando ipsam pro purgatiuo, refrenare alias per ipsum medicinas. Quare vel ipso autore, non omnia purgantia sunt venenosa. Falsum quoque est, quod in secunda ratione assumit, scilicet quod purgantia mouent humores prauos ad vterum: nam medicamenta purgantia manum porrigunt humoribus, qui huc atque illuc diuagantur, ut manu ducti ad intestina, non delabatur in vterum: quare purgantia potius reuellunt ab vtero, quam ad vterum humores mandent. In tertia ratione falsum sumit non semel: falsum enim est, quod omne purgans, moueat vrinam: purgare enim est proprietas (nam à totius substantiæ proprietate purgant medicamenta) mouere vrinam est qualitas tertia: quæ duo cum sint impertinentia, non habebunt necessarium commercium. Falsum quoque est, quod subdit, quod omne mouens vrinam, statim mouet menses, ut constat ex Galeno, quinto libro simplicium, capite vigesimo primo: maiori enim vi est opus ad menses ciendos, quam ad prouocandam vrinam: quare omne mouens menses, vrinam quoque ciere potest, non è conuerso. Nec etiam omne quod menses mouet, abortum necessario inducit: siquidem plurimis prægnantibus menses copiose fluxerunt, superstitente matre, seruatque fœtu in maturum pariendi tempus vegeto, ac viuido.

Hic autem aduertere oportet, quod antiquioribus, Galeno (inquam) & Hippocrati, ignota fuere purgantia medicamenta mitissima, quæ nobis habentur in vsu, castia fistula, manna, rhabarbarum, thamarindi, & mirobalani: quibus nos feliciter vtimur, si morbus vrgeat, toto tempore fœtationis, etiam si materia non turgeat. Nec hæc sunt quæ ab Hippocrate prohibentur in Aphorismo. Primo, quoniam insanum esset, quæ non nouit prohibere. Secundo, nam ratio prohibitionis purgantium, pendet ex violentia quam ipsa pharmaca inferunt naturæ: hæc autem nostra mitissima cum sint, superstitente fœtu quantuncumque tenero, humores abducunt. Tertio, quoniam Galenus 5. Aphor. com. 55. Valida tantum auxilia negat prægnantibus, & Philothæus 4. Aphor. com. 1. aduertit, medicamentum Hippocrati dicere, non quoduis purgans, sed tantum validum. Nostris ergo pharmacis, leuissimis tentari possunt: illa verò antiquorum, peplium, helleborum, euphorbiæ, colocynthidis, elaterii, scamonium, & similia, non modò non probamus in ijs quæ vtero gestant: verum nec virginibus, nec viris quantuncumque robustis ea concedimus: nisi fortè in graui & diuturno aliquo morbo, qui leuioribus sepe sepius adhibitis non cessit. Nec maior enim infelicitas, nostri temporis pleureticis contingere posset, quam ea ebibere medicamenta, quæ Hippocrates suis agris ministrabat. 2. acutorum, sentent. 11. Prætereo eos quibus per febres ardentes viscera exuruntur: in quibus si castiam, mannam, thamarindos, psilij mucaginem, & similia transcendas: neci dabis. Age rogo, & ex  
medi-

medicamentis antiquorum, vno aut duo elige, quibus quæ vtero gestant purgari possint? illa validissima scio non eliges. Restant agaricus, rhabarbarum, aloë, manna. At mannam reposuit idem Auerrhous inter medicamenta Galeno, & antiquioribus ignota. Ego tamen mentionem eius habuisse arbitror, libro 3. alimentorum, sub nomine mellis ærei, vel roridi. In quo tamè nullam vim purgantem agnouit, sed varias tantum vires, à varijs super quas cadit plantis acquirere dixit: nec prorsus ab altero melle quod ab apibus sumitur, dissimiles vires habere censuit. Agaricus verò quem vt purgatoriu agnouit Gal. 6. Simpli. cap. 8. pituita purgat: cuius etiã vacuatio in morbis acutis raro est idonea: & præter id menses validè mouet, & facit abortire: vnde est remedium sui ad prouocandum abortum, vt scribit Aëtius, lib. 6. cap. 18. Aloë verò potentissimè prouocat menses (nam ob id Galenus propinat hieram, quæ aloës centum excipit drachmas, aliorum medicamentorum cuiusque sex, libro de sanguinis missione, cap. 68.) & aperit ora vasorum apud Arabes, quæ omnia prægnanti sunt aduersissima. Quare demiror cõciliatorè diff. 166. vbi agaricum, & aloëm prægnantibus concedit: cum tamè sint maximè aduersa, vt diximus. Rhabarbarum verò non agnouit Galenus, quauis Ruelius, & fratres, & multi alij, credant rhabarbarum antiquorum, nostrum esse rhabarbarum. Cuius tamen contrarium constat: nam radix rhabarbari, vt scribit Dioscorides lib. 3. cap. 2. est fungosa, leuis, inodora: quorum omnium contraria reperiuntur in nostro rhabarbaro: est enim radix densa, grauis, & odorata. Et præter id rhabarbari radicem dixit esse similem cœtaurio magno, quod tamen radicem crassam & longam (tripedalem scilicet) & maculis rubeis respersam, habere dixit eodem lib. cap. 6. Radix verò rhabarbari, rotunda est & omnino crocea. Item nostrum rhabarbarum egregiè purgat, etiam in exigua dosi: quod non essent antiqui prætermisuri si eum agnouissent. Nec enim possent in eo, eam vim ignorare, cum frequēs esset apud eos rhabarbari exhibitio ad multa. Græci præterea iuniores, quibus iam fuit aliqua nostri rhabarbari notitia, diuersum eum ponunt à rhabarbaro. Nam paulus post caput de rhabarbaro veterum, in duobus ad podagram compositis medicamentis, rhabarbaricum admiscet. Et lib. 1. cap. 43. inter ea quæ ventrem laxant ipsum memorat. Quem locum petit sibi monstrari Manardus lib. 9. epistola vltima, quod post multiplicem pauli lectionem non inuenerit. Cuius certè causa fuit, quod eum ipsum locum corruptè legerat lib. 6. epist. 2. Aëtarius quoque vir Græcus, in rhabarbaro vim purgatricem agnouit. Nam de diaphænicone agens dixit, supra omnia rhabarbari indicia domare bilè flauam. Accedit quod nostrum rhabarbarum, ex meridionalibus regionibus ad nos fertur, non aquilonaribus, vbi bosphorus, rhabarbari fluius, & stagna mæotica, à quibus rhabarbarum afferri, dixit Dioscorides. Adde etiam quod Manardus lib. 5. epist. 5. musa, & Vesalius, memorant se vidisse radicem diuersam à rhabarbaro, per omnia respondentem rhabarbaro. Primus autem (quod sciam) qui integram rhabarbari naturam expressit, fuit Auerrhous, & post eum Ioannes Cognomento mesue. Nam Serapio & Auicenna (quod maximè mirandum est)

Græcos de rhabarbarico videntur transcribere: & aut vim purgandi quæ est in rhabarbaro ignorarunt, aut certè non satis laudauerunt, nec tradiderunt posteris experientia de eo: scilicet quòd purgat: & quòd est mirabilior alijs expurgantibus: & quòd frenum eius est cum eo: & quòd est sine veneno: & quòd aliàs corrigat medicinas, quæ sibi miscentur. Quæ tamè quinto colligat scribuntur. Et quòd non est in eo nocuum apprensus: & quòd datur in omni tempore anni, & in omni ætate, ita quòd etiam pueris, & prægnantibus: & quòd infusio datur quando solum queritur absterfio, & solutio, & opilationum apertio: & ipsum contritum, quando queritur vt post illam in visceribus vestigia contractionis remaneant: & quòd magis adstringit assum, & adhuc magis adustum: & quòd drachmæ pondere educit bilem & pituitam: & quòd mundificat & confortat hepar & stomachum: & quòd confert doloribus pungitiuis eorum: & quòd clarificat sanguinem: & quòd aufert opilationes: & quòd curat omnes morbos ex opilatione natos, sicut hydropisim & similia: & quòd confert spūto sanguinis, & manationi eius vnde cunctis sit: & quòd confert casui & percussioni, & sanat rupturas intrinsecas & extrinsecas: & quòd est medicina bona diffenteria, & proprie quod ex eo est assum: & quòd confert febribus antiquis. Quæ omnia traduntur à Mesue, & longa iam experientia sunt à nostris medicis confirmata. Quanquam eius in prægnantibus exhibitionem, prohibeat Arnaldus, cap. 61. sui speculi, quia vis aperiens quæ est in ipso, ducit adstringentem vt expressione eiciat fætum. Sed fallitur bonus homo, Primo, quoniã à recepta omnium sententiã discedit. Secundo, nam sicut rhabarbarum non adstringit, nisi post purgationem humoris, ita non deberet adstringere, nisi post expulsionem fætus: sicq; adstrictionem semper deberet præcedere abortus non eã sequi. Tertio, quia non pari facilitate expellitur fætus ac humor: nam perperam. 4 Apho. com. 1. contrarium affirmat Fuchsius. Quarto, nam licet adstrictio iuuat purgationem rhabarbari, ipsa tamen purgatio à partibus acris prodeit, non ab adstringentibus. Nam aliter non eligeret humorem purgandum, sed quemuis obuium vacuaret. Nec etiam per assationem imminueret vim purgantem. Si ergo purgatio non fit à parte adstringente, sed ab acris, quantumuis ab ea iuuatur, frustra timet adstringentem fætum fore expulsuram. Rhabarbaro similes vires sortiuntur myrobalanorū genera: sunt enim, ex medicinis benedictis, licet inefficacius purgant, & magis adstringant: possuntq; securè prægnantibus cõcedi. Atq; hos quoq; numerat Auerrhoius inter medicinas à Galeno non scriptas: nam & si nomine myrobalani antiqui fuerunt vsq; et misit tamè diuersam rē intelligisse. Dioscorides in primis vbi de palma tractat, myrobalanorum, & phœnicobalanorum meminit, qui palmæ fructus sunt. Plinius quoq; lib. 12. cap. 22. fermè eadem tradit, nam cuiusdam plantæ meminit in Aegypto nascentis, quam vocari ait adipson, quasi arcerè sitim diceret, viridemq; esse, & malicotonei odore, nullo intus ligno, colligique antequam incipiat maturescere, & quòd relinquatur vocari phœnicobalanum. Et idem Plinius lib. 23. palma quæ fert myrobalanum, probatissima in Aegypto, ossa nõ habet

habet reliquarum modo in balano. Ex quibus patet quàm sine causa Manardus dubitet, an nostri myrobalani, sint myrobalani antiquorum: nam nostri habent nucleos & soluant, antiquorū carent nucleis & adstringunt. Frustra etiam dubitat, an myrobalani, vel phœnicobalani antiquorū, sint nostri thamarindi. Nam & Auerrhoius inter medicinas Galeno incognitas, dactylos india recēset. Et apertè habet nucleos, & ventrem soluant, & nihil æquè domat bilem præter rhabarbarum, sunt medicina cordialis apud Auicennam de viribus cordis, vnde secundo canone, cap. proprio conferunt febribus habentium syncopin, & proprie cum neesse est naturam lenire. Educunt bilem, & reprimunt furorem eius, & feruorem sanguinis, & conferunt inflammationi hepatis & stomachi, & sunt medicina sitis, & omnis stuationis facta ab eis, & conferunt icteritiæ, & reprimunt vomitum, & sunt medicina vera februm acutarum quæ indigent lenificatione, quæ tamen de phœnicobalanis non traduntur. Ego tamen thamarindis solis, vtero gerentes nunquam purgo, tum quoniã vterus ex acetosis male habet: tum ob magnam dosim, quam sine vomitu anxietate, & abominatione rarò possunt ebibere. Est enim apud Mesuem dosis ab uncis duabus, vsq; ad quinque: quare media erit uncia tres. Auicennã vberius propinat, & inquit, Sit potio ex decoctione eorum propinqua mediæ libræ. Serapio verò exhibens libras quinque, nimius videtur: & credo librarum loco legēdas esse uncias, vt cum Mesue conueniat. Parcissimus autem mihi videtur Auerrhoius, qui dosim non vltra quindecim drachmas extendit, quanquam & eæ non sine labore bibuntur. Debet autem fieri eorum infusio in sexcuplo aquæ stillatitiæ, vel seri, & post frictionem quæ manu fit leniter bulliant, & colentur vbi magis extinguere vis, non colentur autem vbi magis soluere est animus. Quem Mesuat locum ad hunc modum corrumpit Siluius, Non colatum exhibetur, quando potentius ardor extinguendus est. Succus præterea rosarum, & earundem infusio, nostras prægnantes cõmodè purgat. Non agnouerunt autem Græci, vim soluentem in rosa; vno dempto Dioscoride, qui lib. 1. cap. 42. de oleo rosaceo notauit, quòd potum soluit aluum. Est autem apud nos genus quodam rosarum, quas alexandrias (fortè quòd Alexandria venerint in Hispaniam) appellamus: quæ non leniter purgant. Sunt qui credant esse narsim serapionis. Suum tamen narsim ita pingit. Est arbustum simile arbori rosæ, habens florem album, & dicunt quòd est rosa agrestis, & rosa seni. Nostra verò Alexandrina, non habet arborem similem arbori rosæ, sed ipsissima arbor rosæ est, nihil ab ea euarians: nec est agrestis, sed satiuæ, & in hortis tantum reperta, neq; flores habet albos, sed rubentes. Nunquam enim nobis rosam albam plurimè solutiua videre contigit, quanquam Manardus reprehendens Mesuem, quòd dixerit rosas albas non esse solutiuas, ita scribat. Apertus hoc loco error deprehenditur, albæ enim de seni vocatæ, & vulgo apud nos Damascenæ, cum albißimæ sint cæteras in purgando excellunt. Fortè sua patria tales rosas frequēs fert, quales nõstra nunquam tulit. Id verò vnum nos credimus nostras Alexandrias esse quas

*Auicenas* appellat rosas persicas, quibus utitur pro solutio, & lenificatio in cura febris flegmatica. 1. 4. tract. 2. cap. 59. & in cura tertiana nothæ eodem libro, cap. 41. Et idem *Auic.* 3. 1. doct. 2. cap. 7. ad deponendam repletionem cibalem noxiam, propinat zucarum rosatum egestionem faciēs. Quod ex istis rosis factum esse intelligo. Adeo autē huiusmodi rosas securas esse existimat, ut pregnantibus cuius venter appetit extranea concedantur. 21. 3. tract. 2. cap. 4. Quare in febre & grauiori quocumq; morbo, multo audacius debet concedi syrupus, qui ex nona infusione harum rosarum nobis paratur, aut ipsæ rosæ sacharo, aut melle conditæ, aut syrupus factus ex succo earundem. Purgat enim omnis rosa bilem, & aquas, & *Alexandrina* præter id pituitam, & materias communes in vix dictum repertas, ut ex locis citatis *Auicennæ*, & frequenti experimento constat. *Casiam fistulam* prætermisimus, quoniā notæ & vulgatæ sunt apud omnes suæ utilitates, & securè eam pregnantibus exhibent *Mesue* & *Auicenna*, 2. lib. cap. 197. Adeoq; creuit securitas ex quotidiano experimento, ut nec ipse vulgus ignoret. *Carpus* tamen in magna anatome, eam prohibet pregnantibus, nam timet ex ea laxitatem intestinorum, & flatū: quæ tñ nos emēdamus, pauco aniso admisto. Cæperunt hanc sacharo conditam afferre: quæ tamen nihil purgat, quoniam immatura conditur. Quod sanè & in *myrobalanis* experieris: nam qui afferuntur conditi ex india, non modo non purgant, verum mirè adstringunt. Admiratione verò non vacat, quòd semina *casie fistulæ* magis purgent, quàm intraneus liquor, ut notat *Manardus* in annotationibus ad *Mesue* simplicia. Quod si verum est, lenitione non operantur, sed verius tractione, more validiorum pharmacorum. Hæc huc vsq; produximus, ut videāt omnes, quanto magis & securius nostro tempore, quàm antiquitus hominum saluti consulitur: & quantum saluari medicinae debeant homines. Nam & qui nodum vitam accepit, ei vitam debet: & mille hodie mortalium millia viuūt, valentq;: qui ne nati quidem essent, nisi salutaria pharmaca hæc ars reperisset. Quanquam verò *Hippocrates*, & *Galenus*, & alij præstantes ingenio viri, hanc artem ferè perfecerint: non tamen ob id tam absolutam habere potuerunt, quin ætas, & tempus, & nouus labor additus, plurima vtilia inueniret: & ex inuentis amissa recuperaret. Docti sanè illi fuerunt viri, & pauci fortè plus illis quàm ego tribuunt: doctior tamen est nostra natura, & plura de suo quotidie pādīt sinu, quæ antea latebāt: nouos scilicet orbis, ignotas gētes, diuersas segetes, & antea minimè nota medicamēta nuper nos docuit: à quibus non sunt tantū vtero gerentes arcendæ. Et profecto si antiquorum medicamenta exitiosa, medio tempore fætationis propinabantur: non est cur nostra tam salutaria, aut primis, aut vltimis mensibus, non sumantar. Ex dictis sanè manifestum fit, quantū expurgantia medicamenta, & in mediam cauerint in prægnatibus antiqui. Videtur autē *Hippocrates* multo magis pertimuisse venæ sectionē: nam eam absolutè vetuit dicēs. Mulier vtero gerens sanguine misso ex vena abortit, & magis si fætus est maior. Quare cū purgationem medijs mensibus

sibus concedat, & nullum venæ sectioni det locam: videbitur cuiuspiam, minori cum periculo pharmaca, atq; ea valida, qualia antiquorum erant, quàm sanguinis quancumq; detractionem suscipere. Accedit & ratio, quòd sanguinis missio detrahāt alimentum fætui: expurgatio verò detrahāt prauum alimentum. Tutius ergo suscipietur expurgatio, quàm venæ sectio. Sed refragatur multorū seculorum experientia: nam multæ in vltimis etiā mensibus, quādo minus opportuna est venæ sectio, tolerant repetitas phlebotomias, non tolerantes totidem purgationes. Quod etiam ratio confirmat: nam pharmacum adhibitum coerceri non potest sanguinis effusio potest. Pharmaca præterea antiquorum, viscera ledunt: à qua læsione licet nostra benedicta spoliarentur, non possunt tamen spoliari à motione, & tractu humorū ad vterum, & partes vtero vicinissimas. Ob quam viciniam sæpe cōtingit, ut medicamen purgatorium, quod propria vi menses ducere non posset, eos tamen quandoq; mouere videatur: cum vterus ipse longanone, per quem alui excrementa exeunt, prolectulo habeat strato. Venæ sectio verò ab omni spoliari potest nocumento, scilicet à subtractione alimenti, cuius ratione facit abortire, ut scribit *Hip.* 5. lib. Aphor. sent. 32. Si enim superfluum sanguis detrahatur solus, & relinquatur necessariis fætui, & matri (quod sæpe fit) nihil est quòd in sanguinis missione cōdemnes. Quin si plenitudo quoq; est causa abortus, (ut *Auic.* 21. 3. tract. 2. cap. 8. est antòr.) ipsius plenitudinis depositio quæ vena secta fit, ab abortu præcauebit: quoniam solum superfluum educet. Quare ratione solius præcautionis ab abortu, etiā in absentia morbi, venæ sectio est interdum necessaria: & in præsentia febris quæ sanguinis missionem postulat, non modo est venæ sectio necessaria ut curetur febris: verum etiā ne ex nō curata febre sequatur abortus. Febris enim esse interdum causam abortus, & notum est, & ab *Hippocrate* atq; *Galeno* proditū. 3. Epid. par. 2. sent. 7. & 8. Vbi de muliere quæ apud *Patimedē* degebat, & altera *Occetai* vxore, tradidit quòd non febricitarunt quia abortierant: immò contra quòd febricitarent, ideo abortiebant. Pleuritis quoq; & alij ex sanguine morbi, qui plurimum diuexant prægnantes, faciunt abortire dum seuiunt: & vena secta placati, matrem fætumq; periculo leuant. Et profecto plures nos vidimus interdum ex febre, alias ex alijs morbis, cum apertis signis abortus, umbilicū iam & lūbos per interualla dolētes, cū spiratū difficili & magna angustia, quæ sanguine copioso per venæ sectionem vacuato, & à febre, & ab instanti abortu quieuerunt: quoniam scilicet venæ sectio, quæ superfluum tantum detrahāt, ab omni ferme spoliatur nocumento. Pharmaca verò quancumq; benedicta, etiā si spoliarentur a malitia, non tamen spoliantur à tractu humorum ad partes vtero vicinas. Ob idq; in æquali necessitate viri usq;, commo- dius suscipitur phlebotomia: quanquam non sit prorsus incommoda expurgatio, quæ nostris pharmacis fit. Quod sanè intelligi debet, si virtus constet ad vtriusque auxilium ferendum: fieri enim potest, ut facultas constet ad expurgationem, non constet autem ad venæ sectionem: cum maior vis huic, quàm illi præsidio adhibēdo sit.



fit necessaria, vt. 4. lib. de Sanit. tuen. tradit Gal. Quare si imbecilla est virtus, minori cum periculo suscipitur expurgatio, quam par venæ sectio. Si valida est ad utrūq; auxilium, tutior est venæ sectio, nec plurimum est incommoda expurgatio. Quo sanè fit manifestum, quòd vteri gestatio non est inter præcipuos sanguinis detrahendi scopos connumeranda: sed inter quantitatis observationes habèda. Minus enim detrahemus grauidæ, quam vacuæ: minus quoq; cum fœtus fuerit maior, & pluris alimenti indigus. Vnde Cornelius Celsus, lib. 2. cap. 10. antiquis aliter sentientibus non vult stare, quòd experimentis plurimis didicerit contrarium. Sunt autem hæc eius quæ sequuntur verba. Antiqui primam, ultimamq; ætatem, sustinere non posse, hoc auxilij genus iudicabant: persuaserantq; sibi, mulierem grauidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturam. Postea verò vsus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasq; potiores observationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim non quæ ætas sit, neq; quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint. Firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier valens, tuto curantur. Hic verò expedit aduertere, quòd superiores tantum venæ in prægnantibus sunt cædendæ: ex inferiorum enim sectione, impetu deorsum conuerso, menses procedunt immodicè, & fœtus præcipitatur. Multò autem magis cauere oportet, ea quæ ex ipso vtero per vuluam sanguinè elidunt: qualia sunt suppositoria, aut pessæ, quæ ad vterum purgandum solent indi. Quare mihi est maxime suspecta, cautela Auicennæ, pro conseruando fœtu qui fuit conceptus ante integram menstruorum purgationem. 21. 3. tract. 2. cap. 10. vbi ita scribit. Et quoadq; etiam menstrua ante conceptionem, non sunt menstrua necessaria, & remanent in ea superfluitates menstruorum eius, indigentes mundificatione, & tunc si non mundificatur, recipit earum corruptionem embrion. Oportet ergo vt mundificetur illud subtile, cum mundificatiuis subtilibus, non potando, sed supponendo in primis suppositorium post collum matricis: immò supponantur in collo matricis, & non mundificetur cum eis illud quod mundificat vice vna, immò vicibus pluribus. Ego tamen temerarium puto suppositorium collo matricis indere: post collum verò, id est ad anum, aut rectum intestinum prorsus inutile: & si acre fuerit suppositorium, tenasum fortè inducet, à quo abortus sequi solet. 7. Aphor. sent. 27.

☞ Dubia quædam quæ ante actum caput respiciunt soluuntur. C A P. XVI.



**V**I de expurgatione, & sanguinis detractione, earum que vtero gestant, exactum caput perlegerit: in plura fortè incidet, quæ parum doctè, & ab antiquis tradita, & à nobis recensita esse iudicabit. Primo sanè, nam si morituri solis prognosticis sunt relinquendi, ne artis præsidia in sanò consilio infamètur: & vtero gerent-

gerentes decumbentes ex morbo acuto (in quo solo materia solet turgere) habent lethaliter, Hippocrate autore. 5. lib. Apho. com. 30: frustra aut expurganti medicamento, aut venæ sectione vtemur. Secundo, nam humor turgēs, primis, & etiam vltimis mensibus, deberet expurgari: nam tunc etiam est periculum, ne labatur in mēbrum princeps, & in ipsum etiam fœtum. Tertio, nam humor coctus, & à natura superatus, melius paret pharmaco quam turgens. Ergo non minus illo esset expurgandus. Quarto, nam quis vetat quominus sanguis possit turgere: quò tempore nec expurganti vti licet, nec venā secare vllibi concessit Hippocrates. Quinto, nam. 1. Epidem. par. 3. com. penultimo, trimestres & quadrimestres, plurimum iniurijs resistere dixit Galenus: quomodo ergo in Aphorismo excluditur tertius mensis? Sexto, nam quartum mensem videtur excludere cum dicit A quarto mense: & septimum includere cum dicit, Vsq; ad septimū: & cum subdit, Minus verò has: scilicet quæ septimum agunt purgare oportet. Cum tamen quartus mensis, sit firmisimum tempus fætationis: & septimus, sit ex postremis, & in quo maturi partus interdum fiunt. Septimo, nam si medio tempore fætationis, magis resistūt iniurijs fœtus: non magis facient aborsum grauidæ quæ phlebotomantur, quò fœtus fuerit maior: sed quò magis à media ætate citra aut vltra discesserit. Octauo, nam sermo de acetabulis videtur fictitijs, & ea tantum animalia sunt dicenda habere acetabula, in quorum vtero venæ non terminantur in vnam vmbilicalem, sed in sinus multos, quos cotyledones appellant, vt lib. 2. de gen. anim. cap. 5. autor est Arist. Nono, si ab initio siccantur & durescunt acetabula, cur postremis mensibus non erant firmiora? Decimo, si morbus grauis indiget medicamento validè expurgante, aut larga sanguinis profusione: quam sine abortu non putamus posse sustineri: quid est tunc agendum? Remedio adhibito, perditur fœtus: eo omisso, perditur cū fœtu mater: quorum neutrum facere Christianum decet medicum.

De primo scire oportet, quòd valde distat lethale à deplorato: ij enim appellātur deplorati, quibus nulla est salutis spes, sed certo sūt morituri. Ex lethalibus verò morbis, plurimi euaserunt, non sine magno mortis periculo: vt de Methone constat. 1. Epid. par. 3. com. 24. qui cū vrim, & suspensione nigra, sanus euasit. Et de iuvene smyrniæ, cui cerebrū vulnere effatu digno fuit vulneratū, & euasit. Vtero ergo gerentes, ex morbis acutis decumbentes, etiā si lethaliter habeant, in grauiq; vitæ discrimine sint cōstitutæ, non sunt ob id deploratæ: quotānis enim mille eiusmodi (Dei beneficio, nostraq; ope) sanātur. De secūdo dicēdū, quòd primis & vltimis mēsis fætationis, etiā si materia turgeret, nō purgabāt antiqui: quoniā fœtus tenerrimus, & fragilia vincula, nō sustinebāt violētia suorū medicamētōrū: quare consultius fortunæ se cōmittere turgētis humoris: quā certū aborsum ex medicamēto facere satagerūt. Humor verò coctus, quāquā melius paret expurgati medicamēto quā turgēs, nō est purgandus vt ille: quoniā nullū periculū anteuertimus in expurgatione cocti, sicut in expurgatione turgētis. De quarto dicēdū est, quòd sanguine turgēte venā

F secarent



secarent antiqui, nam minori cum periculo suscipitur venæ sectio, quam expurgatio ut diximus. Rē autē expresserūt autores in magis periculoso, ut docerēt nos, multo audacius faciendum esse, in eo quod periculi minus habet. Quin & 5. Aphor. sent. 31. Vbi à sanguinis missione magis abstinēt Hippocrates, non prorsus esse abstinendum innuit: sed magis cum fœtus est maior, & minus cū fœtus est minor: ita ut prægnationi aliquid semper condonet, ne improuidè ut non prægnantem tractemus, eam quæ utero gestat. Contradictionē verò è. 1. Epid. voluit soluerē Manardus lib. 15. epist. 1. neq; aliam inuenit viam, qua Hippocratem excusaret, nisi quòd in Aphorismis sequutus est Hippocrates rationē: in libro verò Epidemiarū experientia, & obseruationi innititur. Rationi namq; consentaneū videtur, ut tota ætas gestationis, diuidatur in tres partes æquales: in quarum prima, & postrema, acetabula sint imbecilla, & iniurijs resistēdis inepta. In media verò sint valida, & ad resistendum opportuna. Hanc igitur rationem Hippocrates sectatus in Aphorismis, tertio mense nequaquam esse purgandas utero gerentes scripsit. Primo verò lib. Epid. experimento innititur: ex muliere enim ibi obseruata, quæ citra abortum multa fuit perpeffa, tertij mēsis vim agnouit. Sed contra est, quòd sententiā libri Epidemiarum, confirmat Galenus ex Aphorismo, qua de re visa sunt Galeno, loca ea non dissidentia. Sunt qui Aphorismū intelligant de prægnatione nonimestri, & locum Epidemiarum de septimestri: nam in hac tertius mensis est in medio totius fœtationis: in illa verò extra eā. Sūt & alij, qui fœtus trimestres si mares sint, iniurijs maximè resistere dicunt: si fœminæ verò non vsq; ad quartū mensem: quoniā per mensem citius, & formantur, & mouentur in utero mares. Quare Aphorismū intelligunt in prægnatione maris, & locū Epidemiarum femellæ. Sed utraq; sententiā displicet, non quòd rationem non ferat: sed quòd nosse sit impossibile, an paritura sit mulier septimo mense, & an marem gestet, vel femellam. Quauis enim inditia quædam scribantur autoribus: ea tam sunt infirma, ut nemo audeat certò eorum quidquā præfagire. Quare satius dicendū est, quòd per trimestres fœtus libro Epidemiarū Hippocrates, intellexit eos qui iam perfecerunt mensem tertium: tales verò agunt iam mensem quartū: sicut per quadrimestres eos qui mensem quartum exegerunt, & quintum transigere occipiunt. Nam & Galenus Aphorismū citat in cōfirmationem, in quo tertius mensis fuit exclusus. Dicendū quoq; est, quòd remedia morborum acutorum sunt inedia, sanguinis missio, & expurgatio: à quibus duplex iniuria infertur fœtui, nimirum alimenti detractio, & commotio: ob quæ ambo abortus sequitur. Ex alimēti quidē detractio, eò magis sequitur abortus, quòd fœtus est maior. 5. Aphor. com. 31. siquidem maior fœtus pluris alimenti est indigus. Ex cōmōtione verò eò magis fit abortus, quòd acetabula sunt teneriora. Si igitur tria illa remedia inferunt, tum alimenti detractio, tum etiam commotionem, quæ ambo abortum faciunt: non immeritò tria illa remedia ut abortiua timent autores. Sanguinis missio verò, & inedia minus commouent, &

plu-

plurimum de alimento subtrahunt. Purgatio contra plurimum commouet, parum verò subtrahit de alimento. Trimestres igitur fœtus, exigui, & tenerrimi cum sint, magis periclitantur ex commotione, quam ex alimenti penuria. Ideoq; iniurijs illatis à sanguinis missione, & inedia, præ cæteris resistunt. 1. Epid. citato. Iniurijs verò illatis, à purgatione non resistunt: nam acetabula imbecilla, non ferent purgantis medicamenti commotionem, ut. 4. Apho. notauit Hipp. Quadrimestres verò iam admittunt purgationes, acetabulis iam utcunque roboratis.

Quòd verò quidam putarint quartum mensem excludendum esse, & primis mē sibus fœtationis numerandum, ex antiquæ versionis errore proficiscitur: τετραμηνια enim quadrimestres, aut eas quæ quartum fœtationis mensem agūt significat. Quare malè vertit antiquus interpres, à quarto mēse: id est post mensem quartū, oportet purgare. Septimū verò mensem exclusit Hippocrates. Primo, nam vsq; ad illum, nō in illo præcipit purgare. Secundo, nam est extra mediū tempus fœtationis, si partitio æqualis sit futura. Tertio, nam trimestres quæ iniurijs magis resistunt. 1. Epid. citato, non licet purgare ex Aphorismo: ergo multò minus septimestres, quæ minus ipsæ resistunt. Accedit & validissimū experimentū, quòd plurimi partus septimo mense fiunt: quòd non contingeret, ni ligamenta, suapte sponte extremam maturitatem, & imbecillitatem asciuisent. Nec obstat, quòd Hippocrates addat, sed has minus: non enim per ea verba concedit purgationem minorem in mense septimo: sed potius vult utero gerentes, media fœtatione, & turgente materia, minus esse purgandas, quā si non gestarēt utero: ut aliquid semper tribuamus prægnationi. Quòd si propinquitatis ratione, referendas esse, quæ septimum mensem attigerunt cōtendat: non minus, sed nequaquā vertere oportet: Græcæ enim legitur ἕσσαν δὲ τὰν τριῶν, id est nequaquā vero has: aduerbiū enim ἕσσαν & minus & nequaquā significat. Auicēna verò renuēti purgationē in mensibus qui sunt ante quartū, & post septimū. 21. 3. tract. 2. cap. 10. non videtur standum: quoniā septimum mensem recipere apparet. De septimo dubio ferè omnes medici conueniunt, quòd tutior est phlebotomia primis mensibus, quàm medijs: & quòd omnium pessima est in postremis, persuasi Aphor. 31. quintæ partis. Sed ego contra censerem, nā primis duobus mensibus adeo tener est cōceptus, ut ex leui cōmōtione periclitari possit: venæ sectio vero cōmouet, & conturbat non leuiter. Quare primis duobus mē sibus magis erit periculosa ratione cōmōtionis, quàm media fœtatione ob alimēti detractioem. Firmus enim tunc est, & iniurijs plurimum resistit, quare detractioem etiam alimenti sustinebit. Tertio quoq; mense, solidiora facta iam vincula, cōmōtioni à venæ sectione illata resistere queunt, ut in explicatione loci è. 1. Epid. diximus. Hæc ex phlebotomia cōmōtionē cauit, expertissimus Haliabbas. 1. lib. practicæ, cap. 19. & 9. lib. theoricæ, cap. 39. his verbis. Si prægnans aliquo tempore sanguinem eget minui, aut cathartico purgari propter aliquam passionem, non oportet accelerare hoc in primordijs, donec sit mensiū quatuor prægnās. E quibus Haliabbatis verbis nemo

nemo credat quod sanguinis defectum in prima illa etate formidet: sed commotionem & conturbationem, quae venae sectionem sequi solet. Nam affatim ac repente exclusus sanguis: spiritus, humores, & uterum conturbat: & acetabula dissoluit. Quod si mulier sit ex ijs quae timore percuti solent, aut leuis ex causa abortire consueuerit: multo magis vereri in ea debemus commotionem, quam sanguinis defectum. Ob id ergo primis duobus mensibus (quoad fieri potest) abstinendum est à venae sectione. Nec obstat, quod aliquae visae sint primis duobus mensibus, laudabiliter menstruas: quoniam paulatina scilicet, naturalis, & sine commotione, est huiusmodi vacuatio: venae sectione verò repentina, & violenta, & plurimum commouens. Vnde si menstrua pluries, aut multum fiunt, necessario fetus patietur, ut Gal. est autor. 5. Aphor. com. 60. Tertius, & quartus mensis, iam resistunt iniuriae, & commotioni phlebothomiae. Quintus, & sextus, bene tolerant commotionem: sed quoniam grandior est fetus, non tam bene fertur alimentum detractio. In septimo maius est periculum, quoniam gradior est fetus, & maturi sunt cotyledones: quare duplici in ipso fetus exponitur periculo: commotionis scilicet, & subtractionis alimentum. Contingit tamen nonnunquam ex maiori periculo felicitior fortuna. Nam quinto, aut sexto mense exclusi, raro: septimo verò editi, magna ex parte viuunt, quauis ipsorum partus suapte sponte non eueniant, sed ex medici auxilio accelerentur. Hac tamen praeter ceteris fortuna, nonus mensis alios superat, quoniam omni sui parte fetus vitales edit. Qua fetus, testor mense nono septies menstruam copiose detraxisse, cuiusdam non prorsus ignobili foeminae, febre continente laboranti: quae post ultimam sanguinis detractionem conturbata, puerum validum peperit, & sanguine multo per uterum purgato, à febre libera euasit. Intelligatur ergo Aphorismus quintae partis, non de quavis abortione, sed de ea quae ob alimentum subtractionem fit. Sic enim est verum, quod mulier utero gerens phlebotomata abortit, & magis quo fetus est maior. Si verò abortus ex commotione prodeat, sanguine missa primis duobus mensibus magis abortit: tertio minus: quarto minimè. Quinto, & sexto, melius toleratur commotio, quam alimentum subtractio. Septimo, octauo, & nono, utraq, male fertur. Fortunati tamen sunt septimus, & nonus: in quibus eiectione fetus, magna ex parte viuunt. De octauo dubio, aduertere oportet quod uteri interna facies, non fuit usquequaque laeuis: ne scilicet praeter eius lauitate semen diffunderet: quò melius enim contineretur, acetabulis quibusdam fuit exasperata. Sunt autem acetabula, sinus quidam, & cavitates, in uteri substantia impressae, quorum labra, & supercilia, extra reliquam uteri superficiem extuberant, Galeno autore libro de Vuluæ dissectione. Appellantur Graecis κρηλατῖδα à cymbali similitudine, & κορυμβοειδῆ à similitudine quam habent cum herba eiusdem nominis, quae nobis dicitur oreja de abad: Latinis appellantur acetabula, quoniam ad similitudinem vasis acetum mensurantis sunt fastigiata. Haec acetabula uteri, in quibusdam animantibus euidentissima sunt. Dixit namque Aristoteles libro secundo de Generatione animalium capite quinto, quod in animalibus

in quorum utero venae omnes non terminantur in vnam umbilicalem, desinunt & terminantur in sinus multos: quos cotyledones, aut acetabula appellari diximus, sicut in utero vaccae cernere licet. Vteri verò in quibus venae omnes in vnam umbilicalem coeunt (qualis est humanus uter) euidentibus illis impressionibus carent: ac tum maximè cum menstrua non adsunt. Nam mensium tempore, oscula venarum uteri sanguinem effundentia, turgidiora, & reserata sunt: non secus ac venae haemorrhoidales, dum per eas sanguis vacuatur. Tunc enim quoniam reseratae venae sunt, impressiones, & sinus, videntur habere: quoniam verò turgidae sunt factae, eorum supercilia, supra reliquam uteri substantiam extuberasse visuntur. Mensium igitur tempore humanus uter acetabula habere dicitur. Tempus autem conceptionis (libro de vuluæ dissectione, autore Gal.) est dum menses incipiunt, aut desinunt. Igitur tempore conceptionis in humano utero aderunt cotyledones, aut reseratae, & turgidae venae, quae cotyledonibus proportionè respondet: & internam uteri faciem exasperant. Dum igitur tempus adest conceptionis, tum facultate uteri tractricis & contritricis, tum etiam asperitatis ratione, semen ei aculat utero concipitur: & ab uteri calore coalescit: & secundam extremam superficiem exsiccatur: & crusta, aut membrana quadam (chorion Graecis, & secunda Latinis appellata) obducitur. A qua venae & arteriae prodeunt, ad seminis concepti nutritionem à natura creatae. Quae sanè venae & arteriae, indunt se in venas & arterias uteri, quae tunc temporis reseratae & turgidae sunt. Vteri autem venae, atque arteriae, dehiscunt venas & arterias illas à secunda prodeuntes: ut osculum venae, osculo venae: & arteriae, cum arteria haereat. Quae sanè inheretia (ut autor est Gal. lib. de dissectione vuluæ) hoc modo fit. Vasi quod in chorio est, sinus illius quod in vuluam emerit initium facit, ut duo haec vnum esse dicere quispiam possit: oribus enim vniuntur, atque alterum ab altero, vena (inquam) à vena, sanguinè: arteria ab arteria spiritum haurit. Quo fit ut dictae venae & arteriae sole, sint nexus & ligamenta, quibus fetus alligatur utero. Quae appellantur quoad Hippocrate cotyledones, aut acetabula. 5. Aphor. com. 45. Quacumque (inquit) mediocri corporis habitu praedita, secundo & tertio mensibus, sine manifesta causa abortiunt, ijs acetabula uteri plena mucoris sunt, neque praeter potestatem foetum continere possunt, sed rumpuntur. Eadem quoque significatione, acetabuli voce usus est Gal. 6. lib. de locis patientibus, cap. 5. Vbi ita scriptum reliquit. Si mulier promptè quidem conceperit, deinde secundo, aut tertio, aut quarto imprægnationis mense, foetum eiecerit, circa uteri acetabula pituitosum humorem abundare: atque iccirco venarum, & artiarum eius loci, ad ora vasorum in uterum descendentium nexum debiliorem reddi coniiciendum est, ut foetum ob grauitatem ferre nequeat, sed facillè rumpatur. Ex quibus planè tum Hippocratis, tum Galeni verbis, manifestum euadit, venas & arterias, quibus foetus utero nequitur, acetabula ab ipsis interdum appellari: appellationem hinc fortassis sumentes, quod haec vasa ab illis uteri sinibus, quae primam acetabula vocari inuimus porrigantur. Dicta ligamenta primis mensibus gestationis

tenerrima sunt ob mollitiem, & humiditatem spermaticam, quam ab initio magis, atq; magis deponunt, & solidiora redduntur, adeo ut integram firmitatem media foetatione acquirant. Magis vero exsiccata, ultimis mensibus eam firmitatem amittunt: & defectu humiditatis continuantis, fragilia & friabilia redduntur, adeo ut sine vi extrinseca decidant. Habent sane ligamenta, sicut & cuncta viuentia, suas aetates, adolefcunt & vigent sex mensibus primis: senescunt & tandem obeunt tribus ultimis. In quibus cum foetus sit grandior, & pluri indigeat alimeto: non relinquit ligamentis tantam alimenti copiam ac ante. Quare nutritionis etiam defectu, ultimis mensibus imbecilliora redduntur, & foetus ipse grauior factus, vim facit maiorem, ut sine vi extrinseca ipsa ligamenta rumpat. Cum morbus vero grauis magnum ac celere poscit auxilium, aut expurgandi, aut mittendi sanguinem: & conijcimus matris obitum ex vacuatione omiffa, & ex euacuatione adhibita, abortum esse futurum (dixit Haliabas) sit charior genitrix illo, scilicet foetu: nam mortua matre perditur etiam foetus. Contrarium sentiunt theologi quidam: Nam non sunt (inquiunt) facienda mala, ut inde eueniant bona: ergo quantumcumq; periclitetur praegnas, abstinendum est a vacuatione. Sed ego huiusmodi theologos demiror. Primo, quoniam nunquam tam certus fit medicus, mulierem abortum esse facturam ex adhibita vacuatione: quantum ex omiffa in grauissimo morbo, morituram. Plures enim vidimus ingentes vacuationes citra abortum sustulisse, que nec sanae, nec robustae erant. Secundo, nam dum in aliter moritura, post vacuationem fit abortus, non perit foetus ex vacuatione, siquidem & sine ipsa peribat. Sed saluatur mater foetu non saluo. Quare ex duobus certo morituris vnum saluat, alterum saluum facere nequit. Tertio, nam non minus hominum interfeitor erit medicus, qui necessarium remedium non adhibet, quam qui adhibet aduersum: quare nec dum ab agendo & vacuando, abstinere, a male agendo abstinere potuit.

Costi hae d...  
 uuf. Sed  
 nec sentit  
 qd liberat  
 qd magis a  
 calumnia  
 si sanguine  
 letrageur.  
 qd sine nem  
 re qd oporal  
 fiam. n. me  
 cui est sanita  
 tim inducere illo u m d i o. n d f e t u i n t r a f i e r e. q d s i s t c o s e q u e t i d a c c i d e n t i u  
 in culpa m d i a  
 id f i x i t u d i l l i j m a n e r i d e l i q u i u m. E t a n v e n a s e c t i o p o s s i t d u c e r e a g r o t a n t e m,  
 b i e a a d h i b e r e p u b d i o a d f r i g i d o r u m c r u d i t a t e m, & b i l i o s o r u m e x c a n  
 n e c e s s a r i a a d s a n i t u t e m c o r d e s c e n t i a m. C A P. X V I I.  
 s e q u e b a. f a b i a u t e r a r  
 s a n g u i n i m i  
 h o. q u a f u i t

An in causo sit detrahendus sanguis ad animi  
 Et an venae sectio possit ducere aegrotantem,  
 ad frigidorum cruditatem, & biliosorum exca-



NON quotiens mittendi sanguinis occasio se nobis obtulerit, sanguis statim est detrahendus: Nam & 4. lib. Methodi, & lib. de sanguinis missione Galenus. Homini in sanguinis redundantia posito, plenitudinisq; signa habenti, non protinus mitti sanguinem oportere decernit. Sed inedia, cibi parcitate, balneis, ambulationibus, ceterisque motionibus corpus comode exercetibus, citra euacuationem sanari posse autumat. Ob idq; diligenter cuncta nobiscum sunt animo expendenda, atq; prouidenda, prius quam sanguis detrabatur. Nam noxas inemendabiles

biles interdum adfert intempestiue missus sanguis. Alijs enim cum immodice vacuationis noxam sarcire, non potuissent: in omne reliquum vitae tempus, totius corporis temperamentum redditum est frigidius. Ex qua refrigeratione facile ex quavis occasione lesi, alij decolorati, ac malo corporis habitu vixerunt: alij ex eo ipso in morbos deciderunt exitiales, aquam intercutem, orthomneam, iocinoris, ac ventriculi imbecillitatem, apoplexiam, & deliria, ut. 9. Meth. autor est Gal. Hinc in copia crudorum. 4. lib. de sanit. tuen. timet boni sanguinis (eius nepe qui facile fluit) detractionem: & mali attractionem in totum corpus. Hinc etiam in febre a crudis humoribus orta. 12. Meth. & lib. de sanguinis missione a sanguinis detractione abstinere, timens perfrigerationem, & crudorum victoriam, & ab his syncopin. Nam sanguis sui caliditate frigidorum algorem temperat, & spiritibus quibus abundat permistis, succos crudos fouet, & conficit. Quare nihil mirum, si ex eius aut superflua, aut intempestiua detractione, & spiritu inanitione, crudiores maneant succi. Non minor noxa vero infertur corpori, dum bilis copia sanguinem valde vincit, quam vbi crudi humores abundant: sed tanto maior, quanto bilis pituita magis furit, & seuiora symptomata solet inferre. Vnde Gal. 4. lib. de Sanit. tuen. in vtroq; statu sanguinem mittere vetat, quando scilicet succi plurimum a sanguinis natura recesserunt, siue citra sit restitum, & crudi succi creuerint: siue ultra processerint, & in bilem commigrauerint. Nam vtrouiq; sanguine detracto, metus est, ne alieni succi, aut quantitate, aut noxia sua qualitate superent, & vitalem missionem dissoluant. Sicuti enim sanguine detracto, crudi succi perfrigerantur, crudiores redduntur, in vniuersum corpus adducuntur, syncopas, malos habitus, decolorationes, hydropas, orthomneas, apoplexias, & huiusmodi alia mala creant: ita vbi bilis vincit, dolores, deliria, nauseae, vertigines, cordis morsus, angustiae, & syncopes fiunt. Quonia tamen temporis bilis agitur, et per corpus mouetur, & ipsa a sanguine non coercita, & moderata, excandescit, & furit quam maxime. A sanguine namque humores omnes temperari, crudos incallescere, & biliosos moderari, atque frigere eod notum est, quod sanguinis qualitas familiaris, & temperata, vtrique extremo reluctatur, & reliquorum excessus corrigit: adeo ut non ineptè ab Auicennae interpretibus, reliquorum humorum frenum statuatur sanguis. Hinc nono Methodi Galenus a sanguinis missione abstinere, in ijs quibus os ventris, aut amara bili abundat, aut imbecillum est, aut supra modum sensile. Nam contenta in ventriculo bilis, ex sanguinis missione agitata: excandescit, syncopas parit, & ventriculum erodit. Porro si quae in ventriculo est bilis, excandescit, et agitur: magis cocitabitur ea quae sanguini mista, per vasa cum sanguine ipso fluctuat. Quare si a bile quae in ventre est, talia timetur, caueturq; tunc sanguis mitti: multo id cauiffe praestiterit, vbi secundum vasa redundat. Hinc est quod. 4. lib. de Sanit. tuen. Galenus, omnium lassitudinis curationem ex professo tractans, in tensiua, ac etiam pblegmonosa, sanguinem mitti copiose iubet: in ea vero quae vlcere sensum insert (quod ea vitiosi, acrisque



excrementi soboles sit) temperandum omnino cōsuluit. Solaq; tunc biliosi humoris vacuatione vtendum, si modo ea lassitudo simplex solaq; sit, citraq; sanguinis copiā eueniat. Sic secundo ad Glauconem, cap. 2. in erysipelate non mittit sanguinem, sed vētrē (inquit) tātūmodo expurgare sufficit. Sic decimoquarto Methodi in cura herpetis, solius expurgantis medicamenti meminit, venæ sectione omissa. Sic in febribus vehementis inflammationis, & calefactionis, quæ ab humore calidissimo & aridissimo creantur, à sanguinis detractione abstinet Auicenna. 4. 1. cap. 20. cuius generis est causus, & tertiana exquisita. Abstinet quoq; à mittendo sanguine, quoties vrina fuerit subtilis ignea, aut facies ab initio morbi tornatilis, & cadauerosa, qualis in exitioso causo apparere solet. Et in summa summopere medico cauendū censet, ne agrū ex misso sanguine, ad vnam duarum rerum perducatur, aut biliosorū ebullitionem, & excandescantiam, aut frigidorum cruditatem. Quæ ambo vt ex dictis constat, non minus (quanquam obscurius) cauit Galenus quam Auicenna.

Nec standum est Florentinis in sua Academia, qui contumeliosè aduersus Auicennam, dictam cautionem de frigidorum cruditate, & biliosorum ebullitione derident. Nec alijs in expertis, qui dogma Florentinorum furantes, sanguinem ad animi vsq; deliquium, in causo ex bile intrepidè detrahunt. Primo sanè Auicennam accusant, quòd ea cautione, medicos in sanguine detrahendo reddat timidos, & meticulosos. Quòd tamen minimè oporteret: cū ex procrastinata venæ sectione, mala oriantur sæpe irreparabilia. Secundo, nam venæ sectio est refrigerans auxilium, ergo nūquam faciet bilem excandescere. Tertio, nam si ex vase pleno vino diluto, dimidium subtrahas, non fit vinum meracius: ergo nec bilis syncerior, & magis excandescens, reddetur in causo, ob sanguinis detractionem, non enim sanguis sine bile prodit: quare quam rationem ad sanguinem habuerat ante venam sectam, eandem seruat post. Quarto, nam frustra frenum exorbitantium humorum statuunt sanguinem: siquidem sanguis reliquos succos nō regit, sed ipsi cum sanguine à facultate nostri corporis dispensatrice gubernantur. Quinto, nam in omnibus febribus putridis (nulla excepta) sanguinem mittit. 11. Methodi Galenus. Sexto, nam si ob febres ardentis, incendijs ratione, sanguinem ad syncopin detrahit Gal. 1. lib. Apho. com. 23. eò magis id videtur faciendum, quòd fuerint ardentiores: tales autē sunt quæ ex bile nascuntur. Septimo, nam post sanguinis missionē (vt dixit Galenus) fuit restituta salus, alio soluta, & plurima bile euacuata: quòd non contigisset, nisi febris fuisset biliosa: nam in sanguinea, sanguinem potius vacuasset natura quam bilem.

Sed contra nos existimamus: quòd ea cautione Auicennas, non reddit nos timidos, nec meticulosos, in detrahendo sanguine vbi oportet: sed prouidos & cautos, ne vbi non oportet, hominem trucidemus venam secantes. Venæ sectio quoq; refrigerans auxilium est, vbi opportunè adhibetur: vbi verò non conuenit, nec est auxilium, nec refrigerans: sed aut incrudans, aut incendens. Ad tertium verò dicendū est primo, quòd non eatenus permisti sunt humores in venis, ac aqua permiscetur

vino,

vino, nam & natura, & pharmacum, quemuis humorem vacuat, altero quouis in venis relicto. Quin & venæ sectio vacuat interdum bonum, relicto prauo. Medici insuper notas habent, quæ bilem aut alium quemuis humorem sanguini permisceri, aut ab eo esse secretum monstrant: nam si vrina tenuis, & ignea fuerit, sanguini non permiscetur bilis: si rubea crassa fiat, cum sanguine permistionem significat. Si in primo statu venam seces, bonum sanguinem fundes, & bilem facies excandescere. Si in secundo, agrum iuuabis: quoniam vitiosus humor cum sanguine vacuatur, & is ipse sanguis iam est vitiosus, ob permistionem prauis. Quin si dictis Galeni animum aduertas, intelliges: in causo difficili bilem non contineri in magnis vasibus corporis cū sanguine, sed in venis iecoris, ventriculi, aut pulmonis, eo ipso autore

1. lib. Epidem. par. 1. com. 9. vbi ita scribit. Verum ante ver, cum subito præter morem aquilo spirasset, isq; in interiores corporis partes impulisset humores: tenuissimus primus fluebat, itaq; febrem ardentem induxit. Neq; enim in quibuslibet corporis partibus, febrem potest humor hic excitare ardentem. Verum circa ventriculū, & huius præcipuè os, circaq; iecoris partes simas. Eodē etiam lib. par. 2. com. 20. & par. 3. com. 14. eandē ferè sententiā tradere visus est Gal. Quòd mirum est neminē aduertisse, dum Arabes reprehendunt, quòd diuersum caput fecerint, causo, & tertianæ continuæ. Ea enim differentia, ex Galeni etiam verbis citatis petitur. Nam non quamcunq; febrem ex bile in vasis putrescente, causum appellat: nisi in venis iecoris, pulmonis, aut ventriculi hæserit. Estq; necessarium inter has duas febres, discrimen statuere ad multa, ad dignotionem scilicet & curationem. Ad dignotionem quidem, nam in tertiana continua exacerbationes fiunt manifestæ: in causo autem sunt insensiles. Ad curationem verò, nam in causo, maximè erunt aptanda remedia, pulmōni, ventriculo, aut iecori patientibus: in tertiana verò non tantum his, quantum vniuersis vasis. Et sanè vel hac sola ratione, larga sanguinis profusione, nō esset in causo vtendū: quoniā in ipso nō cōtinetur bilis peccās in magnis vasis, à quibus maior sanguinis portio aufertur. Dicendum secundo, quòd natura nostra, vt poscit certam quandam sanguinis mensuram: qua (vt instrumento) vtatur in obeundis quibusq; functionibus: ita certa quadam opus habet quantitate eiusdem, vt humores gubernet, & coërceat, ne insigni sua qualitate nos offendant. Hac ergo detracta, bilis excandescit in biliosis morbis, & pituita fit crudior, atq; frigidior, in pituitosis: quoniā scilicet deest naturæ instrumentum necessarium temperationi horum. Quare non est alienum, quòd etiam si per similes maneat, sanguinis ad bilem proportio in causo, post venam sectam, & antequam secetur: magis excandescat bilis post sectionem, quam ante. Reperitur enim magna ex parte, in hoc morbo, & alijs huiusmodi, bilis ingens multitudo, cum sanguinis paucitate: ex qua si vel tantillum detrahas, naturæ instrumentum subtrahis. Quo subtracto, etiā seruata simili inter humores proportione, multo deterius quam ante eos gubernat, & temperat. Ex quo etiam pēdet quarti dubij intelligentia: nam si sanguine vtitur

F 5 natura

natura ceu instrumento, ut crudos calefaciat, & biliosos humectet, atq; refrigeret: merito vtrorumq; frenū dici potest. In omni præterea febrium putridarū genere, sanguinem parcè mittere concedit Galenus, ob vtilitatem minorandi: minoratio autem semper est parca. Diximus verò & nos ante, quòd non statim ac vna, vel dua, ex vtilitatibus sanguinis mittendi se offerat, sanguis est detrahendus: sed omnia sunt libranda, & si vtilitas (aut minorandi, aut alia quæuis) vicerit impedimenta, sanguis est detrahendus: & contra si ab impedimentis vincatur. Sic in casu bilis excæ descētia, semper impedit largam sanguinis missionem: qualis ea est quæ ad syncopin ducit: parcam verò quandoq; admittit, quandoq; recusat. Nam si sanguis non sit valde paucus, nec bilis plurimum à sanguine secreta, conceditur ab Auicenna. 1. 4. cap. proprio, vbi ita habet. Et non phlebotometur, fortasse enim inflammauit eos, & fortasse iuuabit eos, si fuerit illic turbiditas & rubedo. Competit ergo etiam in casu, sicut in alijs febribus putridis sanguinis missio interdum, ut minor reddatur materia, iuxta Galeni sententiam. 11. lib. Methodi. Quam sententiam suffurari volens Auic. 4. 1. cap. 20. ita scribit. Multotiens præterea phlebotomia in febribus licet necessaria non sit, efficit ut natura fortis fiat super materiam: propterea quòd eam efficit paucam. Et hoc quidem cum fuerit figura, & atas, & virtus, & reliqua talia ut permittant. In febribus ardentibus ad animi vsq; deliquium, detrahit sanguinem Gal. 1. lib. Aphor. com. 23. Quòd intelligendum esse de synochis febribus constat. Primo, quoniam febres sanguinis esse de genere deurentium, dixit Gal. 2. lib. Crisium, cap. 6. quare eo nomine venient intelligendæ. Secundo, quoniam postquam in eodem commentario, in maximis doloribus sanguinè ad animi deliquiū mittere præcepit, distinctionem prius esse adhibendam, an mittere sanguinem, an purgare oporteat monuit: id igitur in sanguinis missione ardentissimis febribus adhibenda, pariter considerare conueniet: & à doloribus in febres sententia est transferenda. Tertio, nam eandem sententiam apertius tradidit lib. de sang. miss. cap. 12. his verbis. Porrò vbi feruentis sanguinis copia acutissimam accedens febrem meruit, confertim vacuare expedit, eamq; vsq; ad animi deliquium deducere tentadum, virium inspecto robore. Et paucis interpositis subdit. Noui enim quosdā illorum, ex animi deliquio necessariò esse refrigeratos, ac toto corpore succedentibus madoribus, aluo soluta celeriter morbo liberatos. Et nono Methodi cap. 4. sic scribit. Auffero ab homine eò vsq; de industria sanguinem, quoad animo linqueretur: maximū planè vbi valentes vires sunt continentis febris remedium. Id quod tum ratione, tum experientia didici. Primum nanque in contrarium statum agitur corpus, celerrimè ex animi defectu refrigeratum. Hoc verò nemo inuenire potest, neq; quòd ipsis ægris, neq; quòd nature quæ animantes gubernat, iucundius vtilius ve sit. Postmodum in eiusmodi corporibus, necessariò superuenit alui deiectio, nonnunquam etiam bilis vomitio: quas res statim à toto corpore madores, sudores ve excipiunt. Quæ Galeni verba si rectè aduertantur, satis superque declarant,

per

per ardentissimas febres. 1. Aphor. non alias quàm continentis, quæ ex feruentis sanguinis copia acutissimè accenduntur intellixisse: nec enim in reliquis, dissimilem tradit sententiā, sed eandem prorsus quam in Methodo, & in libro de venæ sectione citato tradiderat. Sunt enim hæc eius quæ sequuntur verba. In ardentissimis febribus si vsq; ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant: & quidam eorum sanitati sunt restituti, alij adiuti plurimum, debementiam morbi abscederunt. Et profecto in omnibus his locis, de larga profusione sanguinis, Galenū loquutū fuisse constat. Quibusdā enim sex detractas fuisse cotylas memorat lib. de sang. miss. citato. Fuit autē veteribus (referēte Fuchsio) duplex cotyla, attica, & italica. Attica vncias mesurales nouem, ponderales autem septem cum dimidia capiebat. Italica autē non fuit nisi libra mensuralis, hoc est vncie mensurales duodecim. Siue igitur atticam, siue italicam intelligamus cotylam: certè magna fuit eius quam Galenus detrahit sanguinis copia. Quippe sex cotylæ atticæ, faciunt libras quatuor & semissem: italicæ verò sex libras mensurales. Quarum mensurarum neutra, causum patienti ex bile, detraxisset aut Galenus, aut quiuis alter doctus medicus. Nā nec de sanguine mittēdo in casu meminerūt, ad frigida potione aspirantes: qua causos prorsus curauit Galenus, nullo ex his moriēte, quibus frigidam tempestiuè propinauit. Virtutem autem validam esse seruandam, ut frigida potus habeat locum, constat omnium qui de frigida potione tractarunt testimonio. Post sanguinis ergo largissimam detractionem, quæ ad syncopin deduxit, & vires omnes longè labefactauit: in corpore præsertim propter ingentem cacochimiam inualido, huiusmodi frigida potio non inueniret locum. Nec valet, si ante sanguinis detractionem propinandam censeas: nam venæ sectio nullo non tempore congruit, frigida potio verò, tunc solum cum concoctionis euidentes cernuntur notæ, ut 9. lib. Methodi, Gal. est autor. Ergo citius vtendum esset sanguinis ea detractione, quàm potione frigida. Quare nec ante frigidam, nec post eam, sanguinis larga detractione conducit. Quin inter sympthomata, quæ casu correptos solent malè habere, est vnum sanguinis superflui fluxus è naribus. Et ideo Auicennas capite de cura causonidis scribit. Et oportet ut caueatur in eis superfluitas sanguinis narium: est enim de eis, in quibus magnificatur timor apud eos. Si ergo sanguinis è naribus fluor (per quem etiam natura solet causos feliciter iudicare: vbi scilicet coctionis notæ præierint, ut constat ex Gal. 4. lib. acutorum, com. 10. & 17.) tam est verendus, multo magis superfluam sanguinis detractionem cauiffe præstiterit. Hinc cuncti qui practicas vocatas scribunt, quiq; ægros semper manibus versant, & experientis potius quàm falsis cauillationibus innituntur, in sanguinis detractione sunt meticolosi. Auicenna dixit. Non phlebotomes, fortasse enim phlebotomia, inflammauit eos. Veruntamen si fuerit in vrina turbiditas, & rubedo, fortasse phlebotomia, iuuabit eos. Quia ex huiusmodi vrina bilis, cum sanguine confusio significatur.


catar. Et Gordonius dixit. Phlebotomia nunquam fiat, & si aliquando debeat fieri, hoc est de raro cōtingentibus. Et Sauanarola inquit. Et nota quòd quādo fiet, debet extrahi pauca quantitas sanguinis. Vnde quidam dicunt, quòd apparentibus turbiditate, & rubedine in vrina, si habitudo fuerit carnosā, & maximè in principio, non aliter, si commodè sic fieri potest: fiat extrahendo sanguinem, non in vna vice, sed in pluribus. Hoc est in pauca quantitate, quia semper timetur de furia cholerae. Refert quoq; Nicolus quosdam medicos dicentes, quòd phlebotomia pro posse dimittatur, nisi multum assuetis ei, in quibus securius adhibetur. Et tunc parua esse debet, & cum sua paruitate partienda. Parcāt quibus delicatiorēs sunt aures, ipsissima enim barbarorum verba recensere volumus: tum ob vtilitatem, tum etiā ne nobis quispiam falsitatis, aut mendacij crimen imponat. Garriant quantumuis scioli quidam, omnis artis vna excepta grammatica ignari, qui ne nominandos volunt, huiusce farinae autores, quòd minus quā pro cuiusq; palato latine loquantur. Nobis sanè magis placet sentētiarū vbertas, quā orationis fucus. Et agrū cū barbaro autore seruare malimus, quā cū latinissimo perdere. Nec credāt iuuenes, Arabes nostro tēpore, ipsorumq; asseclas sui culpa fuisse neglectos: sed tēdio potius laboris, & professorum negligentia: qui nollunt tot libris, & tāta lēctione onerari. Accedit, quòd magna pars doctorum, qui in academijs publice profitentur, altero crure claudicat: sunt enim parum experimentis vsi, & magis attendunt contentioni, quā curationi: in qua maximè praestant Arabes. Creuit odium ex barbarismis linguae qua scripserunt: parum enim amena ipsorum lēctio est. Accessit & bonarū literarum, maior quam ante notitia: & quòd plurima quae corruptè, inordinatè, falso, & sine gratia tradiderant: integra, ordinata, verissima, & incundissima, ex Graecorū lēctione reperiuntur. Sed si primus locus datur Graecis, cur Arabes sepeliēdi? nonne secundo gradu sedebunt? nonne magni, tum medici, tum philosophi, fuere Auicēnas, Auerrhous, Razes? nonne insignes ingenio viri, horum doctrinam coluerunt, & posteris plurima tradiderunt de quaq; re, ante non animaduersa? sinemus ne isthaec perire: aut negligentia? aut quoniam publici professores non viuunt ex praxi? aut quoniam barbara & fastidiosa lingua scripserint? aut quoniam plurima deprauarint, & falsè tradiderint? Non hercle, nobis enim totius populi salus est commissa, & omnes legere autores oportet, vt ex vno, aut altero, quod vtile est discerpamus, & nostris agris opē feramus: vt in causi curatione nuper facere cōpimus. Vt autem cōceptum absoluamus, non pigebit historiam recensere, à Nicolao Florentino doctissimo & expertissimo medico scriptam: qua tradit vniuersam curationem causi, & quā parca sāguinis detractione, & multa attēpatione fuerit vsus aduertit. Bonifacius de Villanoua, tēperatura sāguineus, & quadrati habitus, causo fuit correptus, & primo statim die fuit Nicolus accersitus. Cui primitus chlysterē indidit, ex aqua ordeī, casia fistula, sacharo rubeo, oleo violaceo, & sale. Eiecit autem cum eo duras feces, quae in spyras abierant. Deditq; statim ore sumendam carnem aurantij sacharo

sacharo respersam, cum aquae ordeī cyatho. Postea hora nona, quatuor vncias rubeantis sanguinis extraxit. Hora decima, micam panis pluries loti, respersam aceto & sacharo edendam: & aquam frigidam cum sacharo prius coctam, bibendam propinauit. Postea oris frequentem collutionem, ex aqua frigida & aceto adhibuit: & aqua rosarum, atq; lactuca succo, frontem & tempora madefecit. Quoniam autem siti cruciabatur ingenti, interdū iulebū violaceum, alias aquam frigidā aceto mistam, & aurantij succum frequenter sumebat. Thoraci verò (quòd vehemens in ipso vigeret calor) admouit linteum aqua rosarum & endibiae, cum puluere rosarum & sandalorū madefactū. Ad occasum verò solis, iterū cibauit eum pane loto, & duobus malis assis, & aqua frigida sacharo prius incocta. Post duas horas, brachia & crura lauit decocto foliorum salicis, vitis, lactuca, violarum, rosarum, & corticum papaueris. Tota nocte permansit in somnis. Ad auroram secundae diei exhibuit vnciam vnā cum dimidia medullae casiae fistulae, dissolutae in decocto tamarindorum, prunorum, violarum, & seminis endibiae. Ter deiecit feces, mucos, & bilē pallidā. A purgatione aqua ordeī cū sacharo, vice iuris insulsi accepit: & mica panis lota, rursus fuit cibatus. Febris nō remittebatur, lingua fuit aspera, & inquietudo maior, cuius ratioe cordi, & hepati, lintea sequenti epithimate madefacta iussit apponere. R. aquarum solatri, semper viuae, endibiae, & rosarum, ana vnc. iij. aceti vnc. ij. sandalorum omnium, ana drach. iij. rosarum, spodij, coralliorum, seminis portulacae, ana drach. j. camphorae, scrup. ss. misce. Frontem verò tempora & nares intus, illeuit sequenti vnguento. R. vnguenti populei, vnc. j. olei de mandragora, & de papauere, ana vnc. ss. aceti, drach. ij. opij, camphorae, & croci, ana scrup. j. dissoluatur opium in aceto, & cum eo reliqua misceantur. Ventriculo praeterea sequēs emplastrum actu frigidum, saepe saepius admouit: nam incalescens debet mutari. R. rasurae curcubitae cum succo suo, & succi semper viuae, ana vnc. iij. farinae ordeī vnc. ij. sandalorum alborum, rosarum, & seminis portulacae, ana drach. ij. decoquantur farina cum succis, & in fine addantur alia. Ex sequenti quoq; iulebo infrigidante, quotacunq; hora, tam diu, quā nocte, cibi tamen coctione prius peracta, frequenter accepit. R. tamarindorum vnc. j. prunorum, num. xij. iuiubarum, vnc. ss. rosarum, violarum, seminis endibiae, lactuca, & portulacae, & seminis psilij integri, ana drach. iij. seminis papaueris albi, vnc. j. ss. seminis papaueris nigri, vnc. ss. sandalorum omnium, ana drach. vj. florū nenupharis, glycyrrhizae, seminis cotoneorum integri, ana drach. ij. decoquantur in aquis cucurbitae, solatri, & semper viuae, cola & cum sacharo albo fiat syrupus, modico aquae rosarum & aceti, ad finem decoctionis addito. Omni praeterea nocte, brachia, atq; crura lauit vt supra: & post lotionem, syrupum de papauere cum aqua frigida prius cocta exhibuit. Quae omnia postquam sic fuerunt acta vsq; in diem quintam: hora secunda pomeridiana quintae diei, libras quatuor aquae gelidissimae ebibit: & post solis occasum, abundantissimo sudore eger fuit indicatus. Quare sexto atq; septimo die, pulla lactucis



lactucis, & aggregata incocta, & vino aquoso valde lymphato, eum enutriuit. Exhibuit tamen ad auroram his duobus diebus, syrupum de endibia, cum decocto seminum communium frigidorum: & octaua die pro expurganti medicamento, fuit usus modico electario de succo rosarum, beneq; cessit egrotanti. En tibi quantum abfuerit, vt in curatione causi ex bile, larga sanguinis detractione vsi fuerint autores: & quantum bilis excandescentes qualitates refrigerare, atq; humectare suaserint: Id multo vtilius fuisse rati, quam quomodolibet euacuare, vel ipso etiam Gal. 1. ad Glauc. cap. 8. autore. Quod in febre verò sanguinis, misso sanguine ad animi deliquium, bilis vacuatio per vomitum, secessum, & sudores, vtiliter succedat, autor est Galenus. 9. lib. Methodi, cap. 4. & lib. de sang. miss. cap. 12. citatis. Nam plurimo sanguine calfacto, feruet etiam bilis: quam natura expellit ex sanguinis detractione robarata. Sanguinis præterea pars nõ exigua, ex feruore in bilem mutatur, cuius vacuatio febris sanationi est necessaria.

De occasione adhibendi præsidia. Et an fastidium impediatur sanguinis detractionem.  
CAP. XVIII.



**I**n omni medico præsidio occasio, opportunitasq; ipsum adhibendi captanda est, ex Hip. 1. Apho. sent. 1. Nec enim quod sine ipsa fuerit adhibitum, præsidium dici quibit: sed causa potius morbifica. Est namq; de ratione, atq; essentia præsidij, opportunitas ipsa iuuant. Neq; est rationi cõsentaneum (vt doctè scribit Gal. lib. artis medicinalis, cap. 85.) temporis occasionem, aut ordinem, veluti tertium aliud à qualitate & quantitate præsidij diuersum introducere. Si enim tali & tanta sanguinis (verbi gratia) detractione egeat corpus: nemini dubium est, quin etiam in tempore opportuno eius afferatur occasio. Si præterea aut qualitas, aut quantitas præsidij infensa est, eius iam adhibendi nulla adderit oportunitas. Sic ante coctionem negamus pharmaca. Sic inchoante inflammatione, aut alio quouis morbo sanguinis, vtiliter à venæ sectione incipimus: inutiliter & noxiè à repellente, pariter atq; à discutiente. A repellente quidem, tum quoniã humorem redundantẽ plenum corpus non admittet, ex Gal. lib. artis medicæ, cap. 95: tum etiam quoniam à parte minus principe percussus humor, periculosius ad viscera transponitur, vt admonet. 14. lib. Methodi, cap. 2. Gal. A discutiente verò, nam scarificationibus plus eo quod vacuatur, ratione excitati doloris attrahemus: fomentis verò, alijsq; calfacientibus, plus erit id quod vi caloris, ad partem tunc attrahetur: quam dispersum. Contra verò vbi corpus præeuacuatum fuerit, & inflammatio diu traxerit: nihil huiusmodi fomentis præstantius reperies. Occasio ergo, opportunitas, & ordo præsidiorum, eatenus necessaria & intima est, vt ea seclusa à nomine præsidij, & salubris

salubris causæ decidant, & causæ morbosæ naturam induant oportet. Difficile tamẽ & magnæ artis sæpe est, hanc occasionem reperire: Virumq; exigit doctum, expertum, & erga egrotantes sibi commissos vigilantissimum. Hic occasionem captabit venæ secundæ, aut à venæ sectione abstinet, in fastiditis, conualescentibus, saturis, & famelicis, venere exhaustis, atq; continentibus. In quibus etiam cum morbus venæ sectionem efflagitat, sæpe dubitare solemus, conueniat ne an secus: quod tñ hic dicere paramus. Fastidium vires eneruat, & corpus necessario vti alimento non finit: ob idq; de sanguine detrahendo nunquam indicabit, sed eiusdem detractioni semper reluctabitur. Causa verò vnde fastidium nascitur, quandoque venæ sectionem poscit (vt si ex apostematè alicuius visceris, aut ex sanguine venas ventriculi opplente nascatur) aliàs eandem debortatur, vt si à crudis humoribus, ventriculum, & primas venas implentibus, aut à qualitate immateriali, aut ab inter mortuâ appetitrice facultate oriatur. Siquidẽ causa vacuari postulat, quantumq; reluctetur fastidij, detrahatur sanguis, sed parcius, symptõmati aliquid tribuendo. Quod si spes fuerit ex sanguinis detractione largiore, causam fastidij, atq; fastidium ipsum, promptè ademptum iri, audacius sanguinem detrahes. Sic enim. 6. lib. Epidem. par. 3. com. 29. plurimum sanguinis detraxit Galenus, cuidam mulierculæ, quæ octo mensibus menstrua caruit purgatione: alijs medicis reclamantibus, non solum propter mulieris maciem, sed etiam propter inappetentiã. Si verò causa fastidij, idem cum ipso fastidio indicat, nullatenus sanguis est detrahendus. Qualitas siquidem immaterialis vacuatione non eget. Crudi succi in vniuersum corpus adduntur ex incissa vena, quæ bonum tantum sanguinem emittit, autore Gal. 4. lib. de Sanitate tuenda. Quod etiam prouidens Auicenna dixit. Caue tibi ne fastiditum phlebotomes, sed prolonga ipsum ab hoc, vt eius fastidium digeratur. Intermortuã verò facultas appetendi (qualis fuit in Eurianaclis filia. 3. Epidem. par. 2. com. 3.) à sanguinis detractione extingueretur prorsus. Nã virgo ea (vt refert Hippocrates) per totum morbum nihil sitiebat, nec quicquam sustinebat gustare, summo significans odio illi cibos venisse, vt ne desiderium quidem veniret cuiusquam, quo quidam qui perdididerant appetentiã, cum subeant illa quibus aliquando sint oblectati, tenentur. Nonnullos enim in morbis fastidio occupatos conspiciamus, simulatq; quicquã gustarint, id aduersari: quosdam verò ne gustatum quidem admittere. At hi tantum requirentibus ex se ecquid appetant? respondent certa edulia, quibus se recordantur quondam gauisos esse. Sanè maximum tibi sit facultatis signum, ciborum appetitricis semel emorientis: si parata hæc quæ desiderare dicebant, vt gustarunt culpent, nec etiam edant. Qui tamen si habeant pessimè, deteriore sunt tamen in loco qui nihil appetunt: extremam indicantes extinctionem naturalis virtutis, qua cibum accipimus. Cuiusmodi fuit enarrata virgo, quæ nec sitiuit, nec per totum morbum quicquam sustinuit gustare. In qua sanè ridiculum foret atq; nefandum sanguinem mittere: nam & fastidium, & eius causa, sanguinis detractionem impediunt. Et casus

Jus in super deploratus, medico præsidio non eget. Sicut verò fastidium vacua-  
tionem recusat, quoniam corpus destituitur alimento: ita etiam angina quæ fauces  
præcludit, & deuorare non sinit, parcus tractari postulat, nec integras phleboto-  
mias admittit: vt constat ex Auicenna capite proprio. Cibum enim accipere ne-  
queutes, sanguine in præsens superfluo opus habent: vt quasi locupleti, penu repo-  
sito, vt iliter in posterum eo fruantur, donec deglutitionis meatus cibum admittat.

Quod saturi & famelices non sunt phlebo-  
tomandi. C A P. XIX.



Anguis mitti debet, ventriculo, nec saturo, nec famelico: sed vbi  
omnes coctiones (saltē primæ duæ) fuerint actæ. Nam eo tempo-  
re, virtutes omnes ex alimento sunt relectæ: & nullum impendet  
homini ex cruditatibus periculum. Sic Hippocrates. 2. Aphor.  
sent. 16. Vbi fames (inquit) laborandum non est. Et Gal. in com.  
Est autem ipsis sermo communis ad ægros & sanos. Sanis enim  
non sunt præcipienda exercitia simul cum inedia: nec ægris, aliquis vehemētior mo-  
tus adhibendus, vna cum cibi abstinentia: non sanguinis missio, non alui purgatio, nō  
vomitus excitatio, non frictio multa, non deniq; vehemens vlla corporis commotio,  
aut alteratio. In talibus siquidem motibus omnibus, vbi cibus defuturus sit, vires  
dissoluuntur, siue ægrotent, siue sani sint homines. Et. 5. lib. Methodi ad finē. Splē-  
dida cuiam Romanæ, spūto sanguinis laboranti, noluit sanguinem mittere, quoniā  
inediam passa erat quatruiduanam. Ob id etiam Tralianus capite de Syncopi ex cru-  
dis humoribus orta, taxat frictions continuas, sine cibo præceptas à Gal. lib. 12.  
Methodi. Ob id etiam fastiditos, & nequeutes deuorare, aut non phlebotomamus,  
aut parcus id facimus, vt antea cō capite tradidimus. Sutura tatem quoque ve-  
tant: nā nono libro Methodi ad initium, in iuvene febre continente laborante, duos  
dies fuit procrastinata venæ sectio, propter concoctionis quæ præcesserat tarditatē.  
Quarto etiam libro de Sanitate tuenda, & libro de sanguinis missione, crudis hu-  
moribus existentibus in membris nutritionis, venam secare nō permittit Galenus.  
Et Auic. 4. 1. cap. 20. A minutione (inquit) tibi cauere debes super cibi repletio-  
nem, ne materiam nō maturam trabas loco eius, quòd ab eis euacuasti. Sic rellē in-  
funduntur ante phlebotomiam lenientes clysteres, alui recrementa deturbantes, ne  
putridæ materiæ trabātur ad venas. Sic Aëtius lib. 12. cap. 23. In necessitate phle-  
botomie, si cibus in ventriculo continetur, qui nequit clystere vacuari, iubet prius  
euomere, & post vomitum venā secare. Sic Itali quidā, in initio acutorum, vnciam  
vnam medullæ casie fistule, aut vnciam vnam cum dimidia mannæ propinant. Et  
mibi videtur vsus securus atq; imitandus, vbi vel minima cruditatis suspicio fue-  
rit: quæ tamen in initio acutorum rarò deest maxima, ob præcedentem intempe-  
ran-

rantiam. Cum verò famelicum & saturum à venæ sectione abstinere iubemus, nō  
intelligimus ieiunium, nec qui paucum cibum vetriculum roborantem præsumpsit:  
sed qui diu abstinuit à cibo, & qui eodem se repleuit. Nā in morbis peracutis ex a-  
ctē, vt iliter venam secamus, ægris omnino abstinentibus: quoniam nō abstinerūt  
diutius. Et Auicenna. 22. 3. tract. 2. cap. 25. præcipit ieiunium duorum dierum,  
ante sectionem venæ, in sciatica sanguinea: vbi per ieiunium Cardanus lib. 1. con-  
tradictionum, tract. 3. cap. 27. intelligit parcum victum, nō omnimodam abstinen-  
tiam. Sed non est tam longa duorum dierum abstinentia (præsertim in morbo orto  
ex sanguine crudiori, qui inedia conficitur, tenuatur, & fluxilis redditur) vt  
sanguinis missionem debeat prohibere. Paucum verò cibum præsumpsisse, non  
obstat, in corporibus præsertim gracilibus, biliosis, & resolubilibus: nam & tempo-  
re paroxysmi, in eis commodè conceditur cibus: & cum expurganti medicamento,  
non inutiliter permiscetur. Et Auicenna quarta primi, paucum cibum præcipit  
dari, ijs quibus os ventris est valde sensile, in quo acria, salsa, & mordentia nocent:  
& quibus os ventris est imbecillum, in quo frequenter contingunt dolor, & à ci-  
bis auersio, & in picocolis, qui amarā bilem ferè semper euomunt, ob deprauatū  
situm pori fellei. In quibus omnibus, cibum stypticum (vt micam panis intinctam  
in miua cotoneorum moschata, aut syrupo de mēta moschato, aut in syrupo rosarū,  
aut succo granatorum, aut agrestæ, prout magis hoc aut illud cōuenire videtur) ex-  
hibet. Picocolas verò prius vomere iubet, ex calida cum syrupo acetoso: dein-  
de micam panis edere: tertio quiescere parumper, vt motus ventriculi sedetur, &  
vis ex vomitione imbecillior reddita reparatur. Quibus præactis sanguinem mit-  
tit. Quod sanè nō semper sic faciendū esse suadeo: sed cū humores iam fuerint ad vē-  
trem defluxi: quod cognoscitur ex halitus fetore, ventriculi grauitate, vellicatio-  
ne & cōturbatione. Ante defluxionē enim humorū, ventriculū roborare cibo, &  
ināctione: potius quā vomitu humores ad vetriculū ire solitos aduocare, et vellica-  
tiones inde, atq; syncopas augere præstiterit: vt doctē notauit Auer. 7. coll. cap. 17.  
si adhuc modū intelligatur. Dicta verò corpora, tā sunt resolutioni, & animi deli-  
quio opportuna, vt nec cibus præsumptus sufficiat: sed opus præterea sit iecore gal-  
linæ, aut pauca carne assa post venæ sectionē, vt reparentur, & non incidant in syn-  
copin, & virium dissolutionem. An verò in corporibus quæ os ventris firmū  
habent, non valde sensile, nec amarulētum, paucum cibum præsumpsisse, sanguinis  
detractioē impediatur, dubium est. Cui nos respondemus, quòd paucus cibus præsum-  
ptus, nō modo nō obstat sanguinis missione, verū etiā valde cōmodat. Primo, quo-  
niā ventriculū roborat, qui etiā si suapte sponte sit validus, nihil impedit si robo-  
retur magis. Eius enim firmitas quò fuerit maior, eò nos reddet in obeunda sangui-  
nis missione magis tutos. Secūdo, nā vt cōstat ex Gal. 3. lib. de fac. nat. cap. 13: ven-  
tricus ante reliqua omnia mēbra exinanitur, quādo reliqua enim fruuntur cibo  
ipsis appposito, ventriculus iam omnia confecit, & nouum desiderat alimentum.

Ipsi ergo soli necessario debetur, tum ante sanguinis detractionem, tum etiam ante venereorum usum. Non enim decet ventriculo innanito, aut sanguinem detrabere, aut generationi incumbere. Atq; hinc Aëtius de venere agens, lib. 3. primi terribili, cap. 8. commodissimum (scribit) coeundi tempus est a cibo non nimium ingesto: id est a paucis cibis ventriculum roborante. Plena enim cibatio, non antecedit venerem, vt. 6. lib. Epid. ad hunc modum scribit Hippocrates. Labor, cibus, somnus, Venus, omnia mediocria. Eo enim verborum ordine, ordinem agendorum voluit indicare, vt. 2. lib. de Sanit. tuenda; Galenus est autor. Quare dietorum verborum, apud Galenum is reddetur sensus. Vir atq; femina, qui iuxta tuenda valetudinis artem se se exercuerint, cibum atq; potum conuenientem edant: dormiant donec ingesta coxerint, & coctione maxima copia utilis excrementi proueniat: somnum eorum excipiat Venus. Quoniam verò solus tunc ventriculus caret alimento, pro ipso solo nonnihil est antesumendum. Quod & ante sanguinis missionem, si pari ratione fiat: non video cur non sit maximè probandus usus. Nec video, quomodo qui Aëtium loco citato, & Paulum lib. 1. cap. 35. nesciunt ab errore vindicare, tam valde cecuciant.

### ☞ An conualescentes, & qui passi sunt morbum longum, a sanguinis detractione sint arcendi.

CAP. XX.



**V**erè conualescentium dispositio, optimum sanguinè, sed exiguum eum, atq; cum ipso spiritus animales, atq; vitales, exhaustos habet: & ex eorum penuria, siccus, atq; frigidus, vniuersum eorū corpus redditur. Nā ex inedia, atq; morbi violentia, sanguis atq; spiritus, magna ex parte est absumptus. Ex natura verò victoria, ab omni sorde est expurgatus. Et ob id parti artis quæ reficit, atq; restaurat, conualescētes cōmendatur cap. vlt. artis medicinalis à Galeno. Nā & adiectione opus habet, & mūda sunt adeo ipsorū corpora, vt ex alimēto nullius lesionis periculum ipsis impendat, iuxta Aphorismum decimū, secundæ partis. Tāto autem magis exhaustus, & eneruis est, qui conualescit: quanto à diuturniori morbo resurgit. Fit enim per morbum longū, maior iactura carnis, & radicalium mēbrorum, quæ vltimo liquari solent, apud Gal. 2. lib. Prog. com. 28: & ob id lentius reficere iubet Hipp. 2. Apho. sent. 7. Hinc rectè elicimus, quòd veri conualescentes, ab omni vacuatione debent abstinere, sanguinis missione, expurgatione, coitu, & reliquis. Primo, quoniam eorū sanguis est paucus. Secundo, quia est optimus. Tertio, quoniam ipsorum vires sunt imbecillæ. Quarto, quoniam integrè iudicati, ab his omnibus vacuationibus debet abstinere. Qui verò à longo morbo resurgunt, vt sunt magis exhausti, ita multò magis à vacuatione sunt arcendi.

Si

Si verò non fuerint veri conualescētes, sed multū sanguinem habuerint, & vitiatum, viresq; non admodum deiectas obtineant: sanguinè detrabere ne formides, quātuncq; morbus longus agrum malè habuerit. Quod sanè voluit Auic. 2. 4. tr. 2. cap. 11. de regimine conualescentis, vbi ita scribit. De phlebotomia autē sciendum est, quòd parum indiget conualescens extractione sanguinis: & fortasse indiget etiam. Et significant illud forma, & signa sanguinis: præcipuè cum inuenis febrē occultam in venis, & pustulam in labio. Et fortasse cogit te ad phlebotomādum infirmum, malitia sanguinis eius, propter illud quod remāsit in ipso de cineritate humorū malorū. Quare necessariū est ei, vt extrahatur sanguis eius malus, & augmētetur in eo sanguis bonus. Et melius in hoc est vt facili fiat, & nō faciat aliquid subito. Ex quibus verbis manifestè cōstat, licere nobis sanguinè detrabere in nō vero conualescēte, in quo adest occulta febris in venis, id est causa & dispositio in humoribus, quæ citò est paritura febrē manifestam: & pustula in labio, quæ ex oris exsiccatione prodit, & est signū recidivæ, sicut & sitis, & insuauitas ore percepta, & fastidiū, apud Hip. 6. Epid. par. 2. sent. 20. Hæc enim sunt morbosa symptomata, quæ aliquid morbosæ affectionis, intus relinqui declarant. Sanguinem etiam in conualescente mittere cogimur, vbi per signa aliqua cognouerimus, eius sanguinem esse infectū, ex terrea humorū parte, quæ fuit per putrefactionē adusta, et in cinerē versa, atq; in vasis cū sanguine relicta. Vnde. 4. 1. cap. 20. si sanguis huiusmodi, exeat niger, & crassus, audaciter est extrahendus: quoniam inditium est infectum sanguinem, cum humorum cineribus euacuari. Si verò tenuis & albus profluat, illico est sistendus: nam præter id quòd non vacuantur humores incinerati, inditium est, aut pituitæ vinctis, quæ coctione in bonum sanguinem debet permutari, aut quòd euacuatur aliqua ex secūdis humiditatibus, nutritioni propinquis. Notat enim cōciliator differ. 33. quòd quidam decollati loco sanguinis suderunt lac. Quod tamen mihi vix videtur possibile. Sunt autem Auicennæ citata verba (ne hic desiderentur) quæ sequuntur. Amplius in corporibus quæ prolixas perpeffa sūt egritudines, caue tibi à phlebotomia, nisi sanguinis affuerit corruptio quæ te ad hoc perducatur: quoniam tunc phlebotomabis ea. Et considera sanguinè, & si ipsum videris nigrum & spissum extrabe eum: & si ipsam videris album & subtilem, eum illico constringe, quoniam in ipso existit vehemens timor.

☞ De tempore opportuno secandæ venæ, tum in præcautione, tum in curatione morborū. Et quatenus sint cauēdi coitus & aspectus astrorum. Et quæ luna quadra sit aptior phlebotomiæ. Et in quorum morborum timore, venæ sectione præcautoria vti debeamus. Et vtrum intemperantibus sit secanda vena. Et quare in accessionibus sit spectanda hora remissionis. Et an crisis tempore, & in die decretorio, in quo crisis abest: liceat vacuationem moliri. Et an clysterem venæ sectioni præmittere expediat.

CAP. XXI.

G 2

Quibus





Vibuscunq; venæ sectio, vel purgatio cū medicamēto, prauisio-  
nis gratia cōuenit: hos vere purgare, vel venā incidere oportet:  
apud Hip. 6. Aph. sent. 47. Nam ver tēperatissimum tempus  
est, in quo facultas viget, & humores fundūtur: ex fusione autē  
magis replēt, & expulsionī parantur. Eos ergo tūc vacuare opor-  
tet, præsertim si vena secanda est: nam plenitudo per anteceden-

tem hyemem magis cōcreta: veris aduentantis calore fusa, regurgitabit: & morbos  
pariet. Cacochemia verò, præsertim biliosa, & è tenuibus humoribus orta, quanuis  
tum tēporis vacuari possit: quoniā tamen nec venas implet, nec hyemis frigore ad-  
modum creuit, spectare potest veris finē: dūmodo tempus quo morbi inuadere solent  
anticipemus. Quod notauit Galenus in cōmentario ad dictā sententiam, vbi ita scri-  
bit. Quidā alius tēpore æstiuo, semper febribus tertianis corripiebatur: sed multis  
iam annis nō febricitauit, quoniā à nobis purgari circa finem veris anticipauit. Sic  
enim melius est tales euacuare: sicuti illos qui morbo comitiali, apoplexia, & melā-  
cholia, & articulari, & alijs passionibus, quæ ex crassis humoribus generātur, præ-  
stat circa veris initia euacuare. Quādoq; vero tanta est cacochemia, è crassis præser-  
tim humoribus orta: vt nō modò vere, verū & autumnō (quod tēperatum quodam-  
modo est anni tēpus) iterū purgemus: ne morbis ex ipsa enatis, hyeme corripiamur:  
vt in eo qui singulis annis in melancholiam incidere cōsuetus fecit Galenus, in cō-  
mentario ad dictā sententiam. Qui locus exactior est, & medicis operationibus  
magis seruiens: quā alter qui scribitur libro de sanguinis missione, cap. 7. in quo  
omnes præcautione indigentes, veris initio purgat.

Sunt præterea in præcautione obseruanda solstitia, & æquinoctia: & insignium  
astrorum exortus, atq; occasus: & magnæ insuper temporum mutationes apud Hip-  
pocratē libro de aere & aqua: ita vt neq; venā in ipsis secet, neq; pharvacū quisspiā  
volens det: Non det (dixit) volens: idest præcautionis gratia, citra morbum cogen-  
tem. Mensis etiam lunaris est attendendus, ita vt primam atque vltimam quadrā  
non eligamus, sed duas medias, ex Auic. 4. 1. cap. 21. in hæc verba. Quidam autem  
præcipiunt, vt ventosæ in principio mensis non apponātur, quoniam humores non-  
dum amoti fuerunt, neq; ebullierunt: neq; in fine mensis, quoniam humores tunc  
sunt minuti, sed in medio mensis, cum humores sunt ebullientes, & in sui augmento  
luminis, in corpore lunæ augmentum sequentes: & augmentatur cerebrum in cra-  
neis: & aqua in fluminibus accessionem, & recessionem habentibus. Quibus ver-  
bis, duas quadras medias ceu electiores probat: quoniā in eis humores magis abun-  
dant, & extra erūpunt. In quibus tamē cauēda sunt, septē horæ ante plenilunium,  
& totidem post, ob aspectum oppositionis aduersum, ex Astrologis. Qui præterea  
cauent alias lunæ stationes. Primo, ratione signi. Secundo, ratione domus. Tertio,  
ratione coitus cū aliquo planeta, aut stella fixa. Quarto, ratione aspectus. Quo ad  
signa etenim, ad phlebotomiā faciendā, probāt signa aërea, et ignea, et mobilia. Impro-  
bant

bant verò fixa & cōmunia. Aërea verò signa statuunt Geminos, Librā, & Aqua-  
rium. Sicut ignea Arietē, Leonē & Sagitariū. Mobilia appellat, Arietem, Can-  
crum, Librā, & Capricornium. Fixa Taurū, Leonem, Scorpionem, & Aquarium.  
Cōmunia verò Geminos, Virginē, Sagitariū & Pisces. Ex fixis tñ quidam eligūt  
Scorpionē. Et ex aëreis omnes improbat signū Geminorū: tñ quoniā est signū cō-  
mune, cuius ratione inquiunt, quod chyrgus plus vna percussione vulnerabit, &  
quod æger necessitatē alterius phlebotomiæ, citissimè incurret: tum etiā quoniā sig-  
nū hoc, brachia respicit: horribile autē esse dicūt, ex Ptholomæo in cētiloquio, tæge-  
re mēbrum ferro, luna existēte in signo illius mēbri. Distribuitq; signa per mēbra  
corporis. Nā Aries (inquiunt) habet caput: Taurus collū, ac guttur: Gemini, hume-  
ros, brachia, & manus: Cácer, omoplatas, pectus, & pulmonē. Leo, cor, & stomachū,  
& quæ inde oriūtur: Virgo, hepar, intestina, et ei affinia: Libra, renes, pectinē, et an-  
cas: Scorpūs, pudēda, vesicā, & anū: Capricornius, genua: Aquarius, crura: Pisci, pedes.  
Electissimā ergo stationē lunæ quā ad venā secandā extollūt, quoad signa at-  
tinet. Aries est, aut libra: præsertim cum veneri, aut ioui, aut vtriq; ipsorū iugūtur.  
Coitus nanq; lunæ, cū alijs planetis, Sole (inquā) Saturno, Mercurio, et Marte, præ-  
sertim cū luna ipsa exiguū habet lumen, valde ad sanguinē mittendum improbatū:  
astrologis: quāuis Martem quidā ipsorū recipiant. Quò ad aspectus verò, electissi-  
mum probant aspectū trinū, cum luna scilicet ante, aut post se, respicit venerem aut  
iouem, aut vtrūq;, per quatuor signa: aut tertiam celi partē, quæ centū viginti gra-  
dus continet. Hūc enim aspectum, appellant dilectionis & amicitie perfectæ. Post  
hunc, laudāt aspectū lunæ sextilē ad dictos planetas, sexta celi parte vtrinq; distan-  
tes. (Idest per duo signa, aut gradus sexaginta) appellantq; hūc aspectū mediæ ami-  
citie. Duos verò alios aspectus inimicitie, memorant ad dictos planetas, in dictis  
signis contingētes: quartilē nēpe, vbi per quartā celi partē vtrinq; distant (idest per  
gradus centū viginti, aut per signa quatuor). Iūe appellāt mediæ inimicitie: et oppo-  
sitionem, in qua media celi parte distāt, & ex diametro se respiciunt (per distantia  
nimirū sex signorū, idest centū octuaginta graduū), appellantq; hūc aspectū, per se-  
ctæ inimicitie. Atq; hūc maximè vitādū statuūt: quoniā cogit (inquiūt) malitia sua  
phlebotomantē errare, vel phlebotomandū, vel seruiētes peccare, ac inconuenienter  
administrare foriseca. Duodecim præterea fixas domos in celo concipiunt, per  
quas signa & planetae discurrunt: eliguntq; ad phlebotomiā, quod luna teneat secū-  
dam, tertiam, quintam, septimā, & decimā. Vitāt verò primā, quā ascendentem ap-  
pellant: & quartā quæ domus (inquiunt) est foueæ: & sextam quæ infirmitatis: &  
octauam quæ mortis est domus: & nonā, quoniā sui est opposita gaudio: & duodeci-  
mā in quam mimicorū, tristitiæ, carceris, & omnis prauī successus, esse prædicant.  
Nec enim decet, lunā in his domibus: nec cū harū domorum dñis esse. Nec dominus  
ascendentis, in aliqua dictarū domuum, præterquam in decima debet reperiri.

Verèor tamen, ne dum eiusmodi astronomicorum delirijs valde es intentus præ-

cautionis, ne dicā curationis horam prætereas. Nā præter figmenta & voluntarias  
 Junctiões, quibus hominum sensibus imponunt, & communi omnium saluti illu-  
 dunt astronomi, non exiguam inter ipsos litem reperias: quibusdam eorum hos, alijs  
 verò illos aspectus, signa, & planetas, recipiētibus & reijcientibus. Omnes verò mi-  
 rabilia de celestium afflatibus, amicitia, inimicitia, exaltatione, combustione, ac alijs  
 (præter vllam vtilitatem, quæ medicis operationibus, & ægrorātium saluti respon-  
 deat) ita blaterant: vt Posthumo aduocato apud Martialem, mihi similes videatur.

Non de vi, neq; de cœde, nec veneno

Sed lis est mihi de tribus capellis

Vicini quæror has abesse furto,

Hoc iudex sibi postulat probari,

Tu cannas, mitridaticum bellum,

Et periuria punici furoris,

Et syllas, mariosq; mutiosq;

Magna voce sonas, manuq; tota.

Iam dic Posthume de tribus capellis.

Sed horum ineptiam, tum libro de hominis procreatione, tum in appendice Astrolo-  
 gico monstrauimus. Quā non minus demonstrant, quæ hic ex ipsis retulimus: quod  
 enim chyrgus, simplici sectione opus non perficiat, sed bis vulneret: quomodo ex  
 signo geminorum pendere potest? An credis dum luna eum tenet signum, suo vulne-  
 rarios munere, rectè fūgi nō posse? Aeger præterea qui sanguinis detractiōne opus  
 habet, ob duplicē vulnerarij ictum futurū, debet ne ab ipsa desistere, nec si ter esset  
 vulnerādus? Si post hanc præterea venæ sectionem, citissimè debet æger alterius  
 phlebotomiæ necessitatem incurrere: bene fecit (qui ante manifestæ huius necessita-  
 tis aduentum) sanguinem sustulit, dum luna geminos tenuit. Præceptum præterea  
 illud, quo cauent tangere membrum ferro, luna existente in signo illius membri, ri-  
 diculum est: vt monstrat experimentum, in ijs quorum brachia, aut pedes, phleboto-  
 mantur: cum Luna Geminos aut Pisces tenet. In coitu præterea solis & lune, san-  
 guinem è sinistra saluatella detrabere, multos quartanarios sanauit, experimēto Sa-  
 uanarolæ. Aspectus quoq; omnes esse salutes, & orbis huius inferioris tutrices,  
 & amicos (siquidem eius gubernationi præsumt) satis verisimile est. Aspectus præ-  
 terea oppositionis, quātumuis vltimæ sit prauitatis: quomodo vulnerarium, & assi-  
 dentes, & exteriora, faciet errare? Domus præterea dictæ, si in celo sunt, fixæ non  
 sunt, sed cum eo motæ: fixæ ergo cum statuuntur, fictitiæ sunt, & imaginariæ: quare  
 neq; vim aliquam habent immutandi, nec ipsarum domini, domus habēt quibus do-  
 minentur, & imperium suum exerceant in nos.

Fama ergo gratia, paulum quid istis astrologicis imaginationibus tribuendum  
 est, ne mortem quæ vltro sæpe solet hominibus contingere, nobis imputent. Val-  
 de nanque remota sunt, operosa nimis, infructuosa, & quod verius est fictitia

quæ

quæ astrologi sanciant. Nec olus enim emere, nec vestem consuere, nec filiam ma-  
 rito locare, nec iter feliciter progredi volunt, nisi astrorum iussione ipsi de celo  
 aduebant. Sine quorum tamen consultatione, vt tum hæc, tum alia grauiora, rectè  
 peraguntur: ita qui venæ sectione, aut expurganti medicamēto, opus habēt: ijs præ-  
 sidijs comode vtentur, solo artis medicæ auxilio, & salubri cōiectura fidētes. Famæ  
 tamen, & nostræ opinionis, ac integritatis seruādæ gratia (ne eius quem sua sors pe-  
 remit necis, insimulent nos astronomi) vitandi sunt coitus lune cum Saturno, aut  
 Marte: quos intemperatos, & κακοποιῶν idest maleficos, aut horribiles planetas ap-  
 pellant Galenus. 3. lib. de diebus decretorijs, cap. 6. Et si res patitur (quod in præcau-  
 tione magna ex parte fiet) spectabimus coniunctionem lune cum ioue, aut venere:  
 hos enim temperatos, & ἀγαθοποιῶν idest salutes, ac benignos, idem Galenus esse  
 scribit. Astrologi verò hos, bonas, illos, malas fortunas appellant: sicut solem, lunā,  
 & mercurium, mediocres. Solstitijs verò, æquinoctijs, & insignium astrorum exor-  
 tibus, magis tribuendum est: quoniam repentinas inferunt in aëre nos ambiente alte-  
 rationes: hæc autē sunt cauēda in præcautione, siue à celo, siue aliūde quā ab ortu sy-  
 derum nascantur. Quadræ etiam lune, quarum mutationes sunt nobis conspicuæ,  
 magis tribuendum est: ita vt medias duas quadras amplectamur magis cum Auicē-  
 na: vltimas verò non prorsus repudiamus. Nam quod in prima quadra, motum ali-  
 quem humoribus inferat luna, monstrat intumescētia maris in coniunctione: quæ  
 quauis sit minor, quā in plenilunio: est tamen maior, quā toto mense reliquo.  
 In vltima verò quadra, menses mulierum magna ex parte luna mouet: vt scribit  
 Aristoteles. 7. lib. de hist. anim. cap. 2. & lib. 4. de gen. anim. cap. 2. Licebit ergo.  
 Medico qui nature est imitator, tum temporis venam secare, & eiusmodi vacua-  
 tionem promouere. Nec valet responsio conciliatoris, diff. 168. quod scilicet in pri-  
 ma & vltima quadra, humores mouentur tumultuariè ex impotentia & imbecilli-  
 tate lune, quæ eos regere & gubernare nequit: in medijs verò quadræ, eos mouet  
 & regit luna, sui luminis virtute & vigore. Non valet (inquam) nam menses sunt  
 mulieribus naturales, & ordinati: ergo ex causa naturali, ordinata, & non tumultu-  
 ariaria procedunt: puta ex luna eos tunc operāte. Quod Galenus asseruisse est visus  
 3. lib. de diebus decretorijs, cap. 2. vbi adstruit, quod luna statis temporibus mēstrua  
 mulieribus sollicitat. Et cap. 3. ita scribit. Cum ergo potētissimè validissimèq; præ-  
 cedentes omnes, & modò dictæ lune affectiões, hæc inferiora immutent: tunc ta-  
 men longè immutat potentius, dum cum sole congregiēns, sub eius radijs delitescit.  
 Et paucis interpositis subdit. Ergo peculiarem, eximiamq; immutandi hæc inferio-  
 ra vim, habet plenilunium: & hoc maiorem adhuc, lune cum sole coitus.

Morbos autem in quibus frequenter præcautionis gratia, venā secare debemus:  
 memorat Auic. 4. 1. cap. 20. in hæc verba. Et his quidē ægritudinibus præparatus  
 est, sicut qui est expositus sciaticæ, & podagræ fortibus, & arteticæ sanguineis: aut  
 ille cui accidit sputum sanguineum, ex fissura venæ quæ in pulmone eius existit

G 4 tenuiter

tenuiter consolidata: quoniam cum ipsius multiplicabitur sanguis findetur: & ap-  
 ti epilepsie, & apoplexie, & melancholie, cum sanguinis multitudine: & squinan-  
 tia, & apostematibus interiorum, & ophthalmia calida: & ex eis quibus hamor-  
 rhoidarum sanguis qui fluere solebat est retentus, & mulieribus quibus mensruus  
 sanguis est restrictus: horum tamen colores non demonstrant quod phlebotomari de-  
 beant, propter ipsorum obscuritatem, aut albedinem, aut viriditatem: Illi qui in in-  
 terioribus membris cum complexionem calida debilitatem patiuntur. Quibus ver-  
 bis constat, non temere, & ob leuia quacunque damna, sanguinis detractione pra-  
 cautoria vtendum esse: sed ob morbos graues memoratos, aut ob febres humorales:  
 ob tertianas enim ea fuit vsus Gal. 6. lib. Apho. com. 47. Omnis nanq; febris pra-  
 ter diariam grauis est morbus. Per debilitatem autem, quam in interioribus mem-  
 bris cum complexionem calida quidam patiuntur, grauitatis sensum, aut debilitatem  
 grauiatiam, in interioribus perceptam intellexit: quae si cum membrorum comple-  
 xione calida extiterit, monstrat frigidus tunc non subesse succos: nec bile arguit, quo-  
 niam haec non degrauat: sanguinem ergo nunciat, qui calidus simul est, & grauitatem  
 inferens: grauioraq; mala incutiet, nisi cito venae sectione, quae eum demat occurra-  
 mus. Ex quo frequentissimus error colligitur, eorum qui citra morbum aliquem,  
 aut praesentem, aut imminentem, venam quotannis ad diem diui Ioannis Baptistae  
 secant. Errant quoq; medici, qui voracibus, intemperatis, & prauo victu vtenti-  
 bus, citra morbum aliquem consulunt, vere, & autumno, venae sectione, & expur-  
 ganti vti medicamento: vt redundantiam, & succorum quibus abundant prauitatem  
 demant. Cuius tamen contrarium, libro de sanguinis missione consuluit Galenus:  
 tum quoniam non inuuantur, tum quoniam valde leduntur ex euacuatione, in haec  
 verba. Intemperatos autem neque minues, neq; omnino purgabis: plus enim erit  
 quod ex intemperato victu aceruabunt, quam quod tu medicamento, vel minutio-  
 ne sanguinis detrahes. Quibus verbis constat, intemperatos non iuuari, sed potius  
 laedi ex euacuatione, tum ob maiorem congestionem, tum quoniam propter prauorum succo-  
 rum superabundantiam, cito exoluuntur, vt lib. 2. Aph. sent. 36. Hip. atq; Gal. scripsere.

In eo autem qui actu aegrotat, vrgentibus scopis mittendi sanguinem, etiam si  
 luna, soli, marti, aut saturno, in signo fixo, aut communi congregiatur: aut perfectae  
 inimicitiae aspectu irradietur: & octauam domum quae mortis est teneat: procrastina-  
 re venae sectionem non conuenit. Praesertim in acutis, in quibus eadem die medi-  
 cari, iussit Hip. 4. lib. Aphor. sent. 10: ne scilicet praetereat occasio, quam praecipiti-  
 tem esse admonuerat. 1. Aphor. sent. 1. Insani nanq; consilij foret, morbo vacuatio-  
 nem celerem postulanti, & virtuti consentienti, ob minantes planetas non assentiri.  
 Venam ergo tunc illico tundemus, nam sanguis praeter alia de his est, in quibus co-  
 actio non speratur. Si morbus vero per circuitus repetat spectare oportet, non be-  
 gnum, ac salutarem aspectum: sed quietis, aut remissionis horam. Est enim in ac-  
 cessionibus abstinendum, ab alimeto, medicameto, somno, & euacuatione. A somno  
 quoniam

quoniam ad viscera ducit humorem: ab alimento quoniam grauat, morbi causa usam au-  
 get, & naturam quominus in causam morbi agat diuertit: ab expurganti pharma-  
 co, & phlebotomia: quoniam labor labori additur, ex quo natura labascit. Magis au-  
 tem abstinere oportet dies in quibus natura iudicat morbos, si iudicat integre: quod  
 monuit Hip. 1. lib. Aphor. sent. 20. Integre (inquam) quoniam vbi vacuatio non  
 est integra (verbi gratia, per mensruas purgationes quae pigre mouentur) licet medico  
 ex talo sanguinem detrahere, vt docet Gal. 9. lib. Methodi, quod ex coniunctis am-  
 bobus, perficiatur quod postulas. Vbi etiam natura vacuat quae non oportet, corri-  
 genda est, vacuatione quae oportet facta: si enim per sanguinis vomitum, aut mictum,  
 aut per sanguinis a sinistra nare fluorem, iecoris inflammationem iudicaret: interna  
 vena dextra nobis esset secanda. Si natura praeterea humorem conetur expellere,  
 & non expellat: superueniantq; in conatu symptomata periculosa, adiuuanda est.  
 Quod in variolis, atq; morbillis, saepe contingit: hos nanq; natura valde grauata, fru-  
 stra aliquando conatur expellere, donec sanguinis missione leuata, potetior reddatur.  
 Omnes etiam alias crises (vbi natura frustra humorem conatur expellere) vtilissime iu-  
 uare, docet Aui. 1. 3. tr. 2. cap. 30. Vbi etiam natura in die crisimo non vacuat, si mor-  
 bus instat, vacuare debemus. Vnde Auicenna, si natura (inquit) non mouet, moue tu  
 hora motus eius. Valde ergo errat, qui ab omni abstinere vacuatione, die morbi septi-  
 ma, aut decimaquarta: si enim tunc nec natura mouet, nec vllum eius speratur iudicium:  
 recta ratioe supplebit ars, quod natura aut non tetat facere, aut deficit in perficiendo.  
 Hora ergo mittendi sanguinem necessaria, est remissio, aut quies ab accessione, aut iu-  
 dicio: siue mane, siue vespere, aut noctu intercidat. Erit autem electior (si res tulerit)  
 in hyeme hora nona matutina, aut decima, in qua sol rigorem diei hyemalis tempera-  
 uit: & in aestate septima, aut octaua, in qua nondum sol cepit esse molestus, nec  
 recens experrectus homo fuit. Oportet enim vt vapores qui per somnum sensus li-  
 gabant, vigilia saltem vnius horae discutiantur. In qua etiam alui recrementa de-  
 bent excludi, ne feculenti ex ipsis halitus, in venas per sanguinis detractionem inna-  
 nitas trahantur. Quod Auicenna 4. 1. cap. 20. his docuit verbis. Scito praeterea,  
 quod phlebotomia duas habet horas: horam electam, & horam necessariam. Ho-  
 ra vero electa, est eius quae est in lumine diei, & post digestionis complementum, &  
 superfluitatum expulsionem: & hora necessaria, est hora qua fieri oportet, & quae  
 tardari non potest, & in qua res prohibitoria non attenditur.

Ex quo Auicenna loco, accedente insuper experimeto, & ratione, inualuit lau-  
 dabilis mos infundendi clysteres ante venae sectionem: adeo vt rarus sit, aut medi-  
 cus, aut aeger qui violet. Sunt autem valde necessary, si praecessit ciborum crudi-  
 tas, aut si aluus dura sit, sponteq; non eat: ne aut cruditas, aut tetri vapores ex fe-  
 ce retenta trahantur ad venas quae venae sectione inmaniuntur. Quod notauit au-  
 tor libri Galeno adscripti, de praesagio experientia confirmato, in haec verba. Ad-  
 uertere debet, ne sterco multum cobibeatur inter intestina, proinde molli clystere



euacuandus eger, ne venæ ab intestinis attrahant putridam quandam superfluitatū  
 essentiam. Nono præterea libro Methodi, cap. 5. (à quo trāscripsit Aëtius serm. 1.  
 secundi tetrabibli, cap. 71.) ita scribit. Nam si præcedat ciborum cruditas, tanto tē-  
 pore differre venæ sectionem iubebis, quantum satisfacere, tum ad eorum conco-  
 ctionem, tum ut excrementa descendant videbitur. Non sufficit autem quod re-  
 crementa ad ima intestina descenderint, sed oportet ut vacuentur: venæ enim mese-  
 raicæ (quæ putridas superfluitates possunt in corporis venas defferre) omnia pertun-  
 gunt intestina ad ima vsq;. Ex quo inferre licet, quod si in eo qui spōtē quotidie solet  
 excernere, hora verbi gratia tertia, aut quarta pomeridiana: venæ secandæ occa-  
 sio ad ortum solis se obtulerit, clyster sit ei antefundendus: quoniā nō sufficit alui re-  
 crementa ab hesternā cena relicta, ad ima descendisse intestina, sed inde etiam ex-  
 cerni oportet: nisi ingens aliqua necessitas ingruat, sitq; periculum in mora venæ se-  
 candæ. Quo casu clysterem venæ sectioni postponūt Hipp. & Gal. 4. lib. de ratio-  
 ne vitæ in morbis acutis, com. 75. si non sua spōtē probè deiecerit aluus. Aëtius  
 autem si cibus adhuc in ventre detineatur, ante quā venam secet iubet vomere,  
 sermone. 4. tertij tetrab. cap. 23. In hanc sententiam expertissimus iuit Auenzoar  
 referente Auerrho. 7. lib. coll. cap. 1. in hæc verba. Et noster charissimus Abume-  
 ron Auenzoar dixit, quod non debet fieri phlebotomia, nisi post corporis mundifi-  
 cationem. Et hoc est quia quando venæ à sanguine sunt euacuatae, sugunt superflui-  
 tates malas, ad nutriendum ineptas, & ab his malam acquirunt complexionem. Et  
 in tantum erit phlebotomia causa maioris constipationis ventris, quia membra eua-  
 cuata, sugendo superfluitates feculentas magis exsiccant. Quod ergo Alderetus  
 quidam Salmanticensis academiæ professor, clysterem nullatenus ante venæ se-  
 ctionem, sed post semper infundendum esse profitebatur vanum est, nisi instans ali-  
 qua se repente obtulerit occasio quæ nos cogat: sic enim Hippocratis, atq; Galeni  
 locum, 4. lib. acutorum, com. 75. intelligendum esse diximus. Nec obstant quæ ille  
 objicere solebat. Primo, quod clyster ante venam sectam infusus, facit ut eger vinctus  
 inde moueatur, detegatur, & refrigeretur. Ex refrigeratione autem concrevit san-  
 guis infectus, & vena secta nō potest expelli. Secundo, quod intestina clystere præ-  
 euacuata, trahunt à venis: venæ ergo detumescent, & concident: sanguisq; si tunc  
 ipse secentur, excolatus & tenuis, non autem qui crassus & infectus est educetur.  
 Tertio, quoniam clyster intro, venæ sectio verò extra agit humores: quantum er-  
 go ad ipsas attinet vacuationes, vna ipsarum alterius præludium esse nequit, & cō-  
 modi dispositio: quod verò attinet ad naturā, valde ipsa affligitur ex duplici vacua-  
 tione coniuncta. (quā non permittit Auicenna, 4. 1.) Valdeq; turbatur quoniam hi  
 motus & vacuationes sunt sibi cōtrarij, simulq; adhibētur. Fritiola tamen sunt, nam  
 si refrigerationem times, non surgas: sed supinus decumbens, aluum in pelui exone-  
 ra: aut togatus surge: quod si plus iusto te refrigeratum esse censes, non tundas ve-  
 nam, donec in pristinum calorē redeas. Intestina verò emolliente clystere præeua-  
 cuata,

cuata non magis trahunt à venis, quā si spontē vacuarentur: quare aut venas nō  
 exugunt, aut sectio eiusmodi nō transcendit iecur. Quod verò ultimo objiciebatur,  
 soluitur: nam clyster emolliēs, solas mouet, & euacuat feces, non autem humores va-  
 sorum, quos educit venæ sectio: vtraq; ergo harum vacuationum mouet extra, di-  
 uersumq; mobile agitat. Secus vero faciendum esset, si clyster non esset emolliens,  
 sed expurgans, cuius vis vasa ipsa pertingeret: hic enim nec ante, nec post sanguinis  
 detractionem, debet infundi: quoniam cōtrarijs motibus, hæc duæ vacuationes, moue-  
 rent humores vasorum, & naturam turbarent. Vbi tamen vtroq; est opus auxilio,  
 venæ (inquam) sectione, & clystere expurgante, antecedere debet venæ sectio: sicut  
 & pharmacum expurgans ore sumptum antecedit. Quod fecit Hip. 4. lib. acutorū  
 sent. 20. vbi post sanguinis missionem, singulo quoq; tertio die clysterem infundit.  
 Clysterem (inquam) acutum, & expurgantem, qui vim habeat vacuandi humorem  
 relictum in inflammatione: ut in commentario eiusdem sententiæ interpretatur Ga-  
 lenus in hæc verba. Si verò imbecillior (inquit) eger tibi esse videbitur, vel pro-  
 pter sanguinis ablati copiam, vel ob aliam quamuis rationem: purgationis vice, cly-  
 sterem tertio quoq; infundes die. Nempe relaxato per sanguinis missionem corpo-  
 re, quod ex morbificis humoribus qualitate vitiosum superfluit, per clysterē id eua-  
 cuari iubet. Quod autem scopus illi sit, non solum alimenti excrementa subducere:  
 verum quoque & passum locum expurgare, palam est. Ad rationem verò Car-  
 dani, dicendum est: quod si prima regio (venter nimirum, intestina, & venæ mese-  
 seraicæ) munda est, venæ sectio distrahit impuritatem à corde: si immunda verò, ean-  
 dem ex prima regione in hepar, venas, & cor aligit, ut 4. lib. de Sanit. tuen. scrip-  
 sit Galenus, in hæc verba. Quippe incissa vena, bonum sanguinem emittit, malum  
 qui in primis maximè venis, circa iecur, & quod mesenterium vocant colligitur: in  
 totum attrahit corpus.

☞ An vbi venæ sectione, & purgatione est opus,  
 sit venæ sectio purgationi, an purgatio venæ sectioni præmit-  
 tenda. Et vbi erratum est, vter error sit gra-  
 uior, tardiusq; emendari possit.

CAP. XXII.



N verò vbi venæ sectione, & purgatione indiget homo, præmit-  
 tēda sit venæ sectio purgationi: an purgatio venæ sectioni: dubiū  
 est. Nam simul vtramq; euacuationem adhibere non possumus.  
 Quod enim lib. de sang. miss. cap. 8. in reumaticis affectibus ini-  
 tium curationis facit à sanguinis missione Galenus: Ac si excre-  
 menta (inquit) præuam qualitatem habuerint, vna adhibeatur pur-  
 gatio: Interpretandum est, quod non plus temporis debemus interponere, quā quod  
 ipsarum

ipsarum vacuationum ordo postulat. Ordo tamen aliquis semper est seruandus: de quo Galen. 6. lib. Epid. par. 1. com. 6. ita scribit. Quae sequuntur iuuenibus (vt ipse ait) congruentia scribit, ita dicens: iuuenes veratro purgare, poplitem incidere. Veratro quidem purgare, si valde antiquus affectus sit, & ceu vectibus (vt ita dixerim) extrudendus. Ad huiusmodi enim morbos veratro vtimur: venam autem caedere, vbi sanguis multus, aut crassus, in venis abundet. Quod si vtroque auxilio ipse homo indigeat, a venae sectione incipiendum esse notissimum est. Hunc Galeni locum, tanquam ex Hippocrate citat Auic. 4. 1. cap. 4. vbi ita scribit. Quum autem minutio necessaria fuerit, & venter solutio ex aliquo quod sit vt belleborus, & violenta medicina, a minutio incipere debes: quoniam hoc est ex praeceptis Hippocratis, in libro Epidemiarum: & haec est veritas: & similiter si humores fuerint phlegmatici cum sanguine misti. Quod si viscosi & frigidi fuerint, fortasse minutio grossitudinem & viscositatem eis augmentabit. Incipiendum ergo erit a solutione ventris. Et ad summum si humores fuerint aequales, praemitte minutionem: & si postea superabundauerint euacua. Quod si aequales non fuerint, in primis superabundantem euacua humorem, donec aequetur: postea minue. Quibus verbis Auicenna, placitum de praemittenda venae sectione, vbi vtroque est opus auxilio, interpretatur, & recipit, vbi vti debeamus pharmaco validissimo, quale est belleborus. Quod ad nostra vero pharmaca posterius inuenta, quae mediocriter soluunt, suam statuit sententiam: quod scilicet si sanguis solus, aut omnium humorum congeries, aequaliter & ad proportionem excreseat, praecedat venae sectio: si humor vero alius, aequetur per pharmacum, & deinceps secetur vena. Sed facile redarguitur, quoniam vbi aut solus sanguis, aut omnes aequaliter humores augentur, venae sectio conuenit, non autem purgatio: vbi vero humor alter proportionem violat, purgatio conducit, non autem venae sectio. Dicendum ergo est, quod vbi vtroque est opus auxilio, indicationes quae vtrumque auxilium poscunt coniungi debent (plenitudinis nempe cum cacochimia indicatio, aut aliae, quae hanc & illam euacuationem fieri postulant) & pro ratione vincetis indicationis, prius vna quam altera, aut contra vtemur. Possunt autem plenitudo & cacochimia multipliciter copulari, tum quod ad gradus, & latitudinem ipsarum, tum quod ad locum in quo consistunt. Quod ad gradus (inquam) nam tam plenitudo, quam cacochimia, statui potest ingens, exigua, & mediocris: tam in quantitate, cum humores sunt integri, sola quantitate excedentes: quam in qualitate, cum sunt vitiiati, & a sua ipsorum natura recedentes. Quod ad locum vero, nam humor excreescens qui cacochimiam parit, aut continetur intra venas cum sanguine, aut extra ipsas. Hoc autem bifariam contingit, aut in membris ante iecur, ventriculo nempe, intestinis, & mesenterio: aut in membris post iecur, in musculis scilicet & in eorundem cauitatibus, in iuncturis, & meatibus corporis. Quae omnia cum diuersimodem indicent, diuersum quoque remediorum ordinem postulabunt. A mensura sane aut gradibus cacochimiae, & plenitudinis indicatione sumpta, cautio pendet excen-

descendit biliosorum, & incrudationis frigidorum: de qua capite egimus. 17. Huc etiam attinet consideratio Galeni. 4. de Sanit. tuenda, vbi comparat quantitatem crudorum, boni sanguinis quantitati: de qua egimus cap. 14. In his enim statibus vis quae interdum ob ingentem cacochimiam, non potest sufficere ad venae sectionem, sufficet ad expurgationem: per quam detracta cacochimia quae virtutem deiecit, valida interdum reddetur, ad sanguinis detractionem tolerandam. Nam vbi cacochimia tanta non est vt virtutem deiciat, periculumque, aut excandescitiae, aut incrudationis desit: praeferranda est citra dubium sanguinis missio expurganti pharmaco. Primo, quia est euacuatio vniuersalior, & communis humorum euacuatio: quae vel ea ratione, minus vniuersali est anteponenda, vt scribit Auic. 1. 3. tr. 1. cap. 29. Secundo, quoniam est facilius & tutius: quam vbi volumus, possumus sistere: autore Gal. 2. lib. acut. com. 11. Tertio, quoniam humores facile defluunt & educuntur in sanguinis missione per ampla vasa: difficilius vero per angusta, & corporis meatus, ab expurganti pharmaco trahuntur. Quarto, nam humores expurgandi praerquirunt coctionem, sanguis vero non: quoniam est humor sui natura bonam coctionem adeptus. Quinto, quia existente plenitudine vasorum, vis pharmaci non penetrat: & ita aut non euacuat, aut laboriosissimam vacuationem facit, & plenitudinem ipsam commouet & accendit. Sexto, quoniam sanguinis missio deobstruit vasa: summum bonum in febribus putridis, vt putredo arceatur. Septimo, quia cum in sanguinea massa, humor aliquis creuit ultra mediocritatem, per ablationem aequalem, nulla fit lesio in exuberante (eadem enim manet proportio, nisi ob virtutis imbecillitatem excandescat biliosa, aut incrudetur frigida) ergo tunc commodum aequari possunt per pharmacum expurgans. Octauo, quoniam id videntur aperte sonare Galeni verba. 4. lib. de Sanit. tuenda, quae ita habent. Inspicere vero & quantitatem conueniet (vt verbi gratia) si bonus sanguis exiguus sit, reliquus vero succus plurimus: vtiq; in his abstinendum a detractione sanguinis est. Sin is quidem exiguus, sanguis vero copiosus, audaciter incidenda vena est: dein deicere (vt dictum est) aluum oportet, ratione habita de abundantis succi copia, pariter & specie. Quibus verbis patet, quod vbi bonus sanguis copiosus est, vitiosi succi comparatione (quoniam in eo statu vires apprimè constant) prius est sanguis mittendus, deinde expurgandum. Contra vero vbi bonus sanguis est exiguus, & vitiosus succus plurimus, a venae sectione abstinet: quoniam (vt scripserat capite nono libri de sanguinis missione) vbi tanta crudorum copia accumulata est, virium robur non adest. Si ergo per expurgans pharmacum vacuentur vitiosi succi virium infirmitatis autores: maneatque humores iusta proportione, & aequalitate sibi respondentem: vena tunc secari debet. Id ipsum, in acris, & saluginosa destillatione pulmones erodente, facere nos docuit Gal. 5. lib. Meth. in haec verba. Ceterum de mittendo bis sanguine, scire illud licet. Quicumque parum habere sanguinis videbuntur, usque ad quendam succum probiorum (sicuti praedixi) reductis, detrahere sanguinem poteris, tum rursus reficere: eosdem etiam

etiam rursus purgare, ac rursus reficere: denuoq; si res suadet sanguinem mittere, potissimum quibus veluti limus quidam vitiosus, & crassus, totus est sanguis. At qui validi sunt, multiq; sanguinis, ijs statim à principio est detrahendus. Horum quæ retuli, siue modo, siue ante, siue ea inueni ipse, siue iuxta Hippocratis viam usurpauit, nihil planè non examinatum, ac iudicio comprobatum est, sed per experientiam omnia iudicata: in quibus erroris pericula ipsi pertulimus. Fructum ex eorum usu habituri sunt, quibuscunq; artis opera sunt curæ. Quæ Galeni verba satis monstrant, in acri hac cacochimia, cum sanguinis paucitate, post purgationem, & refectiorem, sanguinem interdum esse mittendum: idq; non modò semel, sed etiam pluries, si usus exegerit. Quod nos, & vniuersi praxim exercentes, sæpe sæpius facimus: dum post ægrum purgatum, & refectum, iterum atq; iterum venam iecorariam (quam saluare tellam vocant) aliàs aliam secamus.

A loco verò in quo consistit cacochimia, diuersæ sumuntur indicationes: aut enim in prima regione ante iecur: aut in vltima post iecur, ac venas: aut in media regione, iecore nempe, atq; venis, continetur. Si in hac, venis nimirum & iecore, cacochimia simul cum plenitudine consistat: venæ sectio est præferenda, ob octo rationes proximè allatas. Si verò in prima regione cõtineatur, eam ad venas per venæ sectionem vocare non decet: sed prius est coquenda, & vomitu, seu alui deiectione vacuanda. Hinc Auicenna, fastidium & nauseabundum à venæ sectione abstinere iubet. 4. 1. cap. 20. à qua etiã eos qui in primis venis cruditatē cõtulerunt Galenus arceat. Et Rasis in suis cõtinentibus, de pleuritide agens: Plurimi (inquit) eorum, ac omnes ferme, qui ante euacuationem sanguinem miserunt mortui sunt: qui verò euacuationem ante mōliti fuerunt sanati. Et Auerrhous. 7. lib. coll. cap. 1. hunc Rasis locum afferens, ita scribit. Rasis dicit, quòd experientia multoties vidit in hospitali, pleuriticis phlebotomatos ante pharmaciam, & mortui fuerunt. Et mihi videtur, quòd hoc fuit propterea quia mala materia in profundo corporis, in multa erat quantitate: & quãdo detecta fuit, ad actum producta, perdidit patientē. Hæc Auerrhous. Errat ergo Cardanus, qui libro de malo medendi usu cap. 68. nostri temporis medicos accusat, quoniam quandoq; præponunt medicamentum lenitiuum, & clysteres, sectioni venæ. Ipse verò est magis reprehendendus, nam cum omnes ferè homines viuant intemperanter, vix aliquem reperias, qui in principijs morborum, absoluat à cruditate, in prima regione contracta: quæ vomitu, aut clysteri, aut leniente pharmaco, ante venæ sectionem est detrahenda, si vrgentissima aliqua necessitas non occurrat, quæ nos venam (cruditate posthabita) secare cogat. Primam autem regionem à vitiosis humoribus occupari, dignosces ex fastidio, nausea, humoris vomitione, aut deiectione frequenti, dolore, aut grauitate ventriculi, & præcordiorum tumore, atq; distentione. Quæ si affuerint, vomitione vtendum est, vbi sursum vergit humor, ex hydrelæo cum syrupo aceroso tepido: castia fistula verò vbi infra vergunt: quæ vbi parum est efficax, (cum nimirum tenaces, & valde glutinosi

glutinosi adsunt humores) oximellitidis simplicis vnciã, interdum addi ipsi iussimus: aliàs diacatholicon, aut diasebesten, aut trochiscis de violis sine scamonio, vtimur in febrium initio: aut sequenti bolo, si febris non adest. R. medullæ castiæ fistulæ per cribum tractæ, vnc. j. pulueris hieræ picræ simplicis Galeni, drach. j. s. fiat bolus cum saccharo. Doctissimus autem Fernelius, libro de venæ sectione cap. 14. Rhabarbaro, agarico, senna, aut alio quodam blando, pro redundantis humoris specie, non modo semel, sed secundo etiam, ac tertio, pro rei necessitate interdum vtitur, antequam venam secet. Sic in veneno recenter ebibito, venæ sectio est noxia: quoniam trahit venenum ad hepar & vasa. Postquam verò venenum ad vasa meauit, vtilis esse potest. Quod voluit Auicenna. 6. 4. tract. 1. cap. 4. cum dixit. Et si indigent phlebotomia, phlebotomentur. Idest si primam regionem pertransijt venenum, meauitq; ad vasa, vena secetur. Sic Dioscorides lib. 6. cap. 34. ita scribit. Aquã frigida abtã de pota, aut meracum vinum liberalius epotum, aut passum: præsertim à balneo, aut cursu, aut vehementi exercitatione: strangulatus & dolores infert. In quibus sanguinis missio protinus & vacuatio, imminetia soluunt pericula. Quibus verbis ob id sanguinem mittit, quoniam tam aqua, quàm vinum, aut passum, ob familiaritatem statim à iecore & vasis attrahuntur, ipsaq; vasa replent: præsertim à balneo, coitu, aut labore. Auicenna verò quoniam post aquæ potum, magis timuit perfrigerationem, malum corporis habitum, & hydropem, quibus sanguinis missio non cõducit, quàm venarum repletionem: caput hoc Dioscoridis in duo capita partitus fuit, vni 6. 4. tract. 1. summa. 1. cap. vltimo, de aquæ potu: & alterum summa. 2. cap. 31. de potu vini: in hoc, venam secat: in illo verò, vinum propinat, diacurcumam, & diamoschum.

Si verò cacochimia postremam regionem occupauerit, plenitudine in vasis existente: à venæ sectione est inchoandum, deinceps pharmaco vtendum. Quod voluit Gal. 4. lib. de Sani. tuen. in hæc verba. Pone enim talem hominem ex mala victus ratione lassitudine affectum: deinde ex ijs quas retulimus notis, in venoso vasorum genere, apparere subesse illi copiam semicrudorum succorum: in reliquo verò corpore toto, multitudinem horum, quos lassitudo sequuta est: auctus præterea, & illi sanguis esto. Maximè ergo (vt dictum est) detrahere primum de sanguine oportet: deinde de succum illum educere, qui superare videtur. Ex quibus Galeni verbis constat, quòd in dicto statu prius est vena secanda: deinceps pharmaco vtendum: vltimo verò balneo, fotibus, frictionibus, & digerentibus oleis, & vnguentis, vti cõuenit. His enim si ab initio vtare, plus erit quòd in cutem, & corporis molem, ex vasis attrahemus: quã quod in mēbris digeri, ac resolui potest, vt scribit Gal. 6. lib. Epi. part. 2. com. 29. in hæc verba. Tantum illud nouisse satis sit, succos ad cutem vergentes, per eam esse euacuandos: nam iterum ad interna corporis reuulsio, ipsis valde longinqua est, vt per ventrem, aut vomitum euacuentur. Sed forsitan me dicere putabis, nunquam purgatione per ventrem, in talibus vtendum esse. Ego verò non id dico,



dico, nam in libris de arte curandi, in quibus corporibus permulta humorum copia est, ut viles esse purgationes didicisti: priusquam enim redundantem materiam, aut venae scissione, aut purgatione, quis eduxerit, si calidis fomentis utens ipsam discutere conetur, plus attrahet quam per cutem euacuabit: sed cuti inherenti succorum curatio, prorsum per discusoria, & calida medicamenta praestatur. Quod enim. 4. 1. cap. de cura quartanae, dixit Auicenna, quod venae sectio mouet humores ad exteriora: intelligendus est à prima regione, & vis ductuum, ad vasa, & venas quae secantur: non autem ad membra externa, & corporis molem. Sic in scabie, & lepra, primitus venam secamus: deinceps purgamus: & ultimo balneis, fotibus, & illitione membrorum utimur. In quibus, sicut & in variolis, semper aestimamus quantitatem materiae à vasis expulsa, & remanentis in vasis ipsis: vbi enim magna eius pars remanet in vasis, exigua verò foris expulsa est, venae sectio valde conducit, aut expurgatio, pro vt vnam altera magis conuenire conyicimus. Vbi verò maior materia pars, iam est expulsa: nec venae sectio, nec vomitus, nec alui purgatio competit: vt. 6. Epidem. com. citato scribit Galenus. Contra verò in istu venenoso, & morfu virulenti alicuius animantis, ad initium nec expurgatio, nec venae sectio competit: postquam verò venenū altius ad cor atq; vasa penetrauit, vtraq; euacuatio est idonea, vt docet Auic. 6. 4. tract. 3. cap. 1. in haec verba. Et ingrediuntur in hoc capitulo, phlebotomia, & solutio ventris, & similia. Et conuenientior horarū phlebotomiae est, cum scitur quod venenum iam sparsum est in corpore. Sic in bubone, & parotidibus, venam vtiliter secamus: quantumuis reclamet Cardanus libro de malo medendi vsu, cap. 28. Aliter enim nec natura grauata, humorem ad partem inflammari coeptam, promptè pelleret: nec pars quae inflammatur, vniuersam materiam caperet: nec si caperet, securè, & citra gangraenae periculum, tātus humor in ipsam illaberetur. Nam in variolis, sepe natura non valet humorem in cutem transmittere ante venae sectionem: venae sectione verò deonerata transmittit: tuncq; si parcius quam oportet sanguis detrahatur, plus humoris in cutem decumbit, quam cutis ipsa capiat, racematimq; variolae sibi ipsis superstant, ita vt rectè suppurari nequeant, atq; in gangraenam, aut foedam aliquam putredinem, quae puerum interimit decidant. Si tota ergo cutis, humorem interdum non capit, quomodo totus in parotide, aut bubone, poterit comprehendi? Nec enim valet, quod sanguinem per cucurbitulas profunda incisione scarificatas, ipsi buboni adhibitas, sanguinem vacuandum esse, censeat Cardanus: nam sic (inquit) & conatum naturae iuuabis, & sanguinem minues, & materiam ad locum salutarem deriuabis. Non valet (inquam) quoniam per huiusmodi cucurbitulas, & scarificationes, non iuuatur motus aliquis naturalis, sed morbosus qui fit in partem inflammari coeptam: nec corporis plenitudo, per exiguas eius partis venas deponitur, sed agitur, & commouetur: nec scalpello, & cucurbitulis, eò licet humorem deriuare: nisi bubo fortè sit pestilens, in quo etiam venae sectio ex vena magna, societatem & propinquitatem, cum parte inflammata

flammata habente, scarificationibus est praemittenda.

Dicitur ergo ordo, seruandus semper est in euacuationibus obeundis, dū vitiosi humores aliquam ex dictis partibus occupant. Si verò cacochimia in omnes corporis regiones pariter irruat, adsintq; prauis humores, tum in venis cum sanguine, tum in membris extra vasa, tum etiam in prima regione ante iecur: raro fiet vt cum tanta cacochimia, constent vires ad venae sectionem. Vt cunq; tamen res habeat, suo ordine sunt regiones mundandae: venae meseraicae per clysteres lenientes, & lenientia pharmaca, quae diximus: deinceps vasa magna venae sectione si vires permittunt, sin minus purgatione ex aliquo medicamento valentiori, cuius vis vasa pertingere possit. Vltimo verò frictionibus, balneis, et illitionibus, aut sudorificis (si opus est medicamentis) corporis moles est emundanda: ne si contrarius ordo seruetur, ex primis venis in maiores, aut ex maioribus in molem corporis traducantur humores, corpusq; totum inquinent. Quo fit vt non semper vnus in omnibus morbis, sit seruandus ordo venae sectionis & expurgationis. Quod certè Hippocratem voluisse credimus, dum. 4. lib. de ratione victus in morbis acutis, sentent. 21. morbos quosdam enumerat, in quibus sanguinis missione ante expurgationem vti debemus: phlegmone nimirum in hypochondrijs, thorace, septo transuerso, & aliarum etiam partium inflammationes. Ad hunc enim modum, morborum qui sanguinis egent missione, deinde ab ea purgari expostulant catalogum facit, vt scribit in commentario Galenus: quem non esset factururus, si in vniuersum vena semper ante expurgans pharmacum esset secunda. Non tamen credat quispiam huiusmodi catalogum fecisse, quoniam in morbis alijs prius debeamus expurgare, quam sanguinem mittere: sed quoniam isti qui in Hippocratis catalogo continentur, tanquam grauissimi, & valde urgentes, non praestant inducias prius expurgandi, nec locum relinquunt alijs indicationibus, quae antequam sanguis mittatur expurgandum esse suadent. Accedit & altera ratio, quam in sequenti sententia Hippocrates exhibet, quod scilicet inflammationes dictae, per initia nihil humoris per medicamentum attrahendi, sibi adimi permittunt: quoniam humores ipsi sunt tunc dum cruda est affectio in inflammatione firmati, & à facultate contentrice apprehensi. Prius ergo sanguinis missione utemur, quae per magnas venas, & citra vim vllam humores abducit. Post verò cocto iam morbo, cum retentrix facultas humorem sibi abduci permittit, ad expurgans pharmacum accedemus. Ex his duabus rationibus, prima est efficacior secunda, cum vrgens scilicet valde est morbus: nam quantum ad alteram rationem attinet, in ipso inflammationis initio est tempus aliquod reperire, in quo humores nondum firmati sunt, nec adeo à facultate contentrice apprehensi, vt expurganti medicamento valde plurimum reluctentur. Vnde quarto libro de ratione victus in morbis acutis, commentario septuagesimo sexto, in quibusdam pleuritidibus, prima, secunda, quarta, & quinta die, expurgantia medicamenta aegris ob id dedisse refert Galenus, in haec verba. Nam vel statim

ab initio, prius quam in partem aliquam confirmetur humores medicandum, vel postea cum ad maturitatem perducti fuerint. Quam ob causam & prima interdum die, & secunda, & quarta, & interdum quinta, medicamenta dedimus: & non in quarta solum, quomodo is dixit. Sic etiam lib. 13. Meth. cap. 11. in principio ophthalmiae, (antequam in humores in oculis firmentur) expurganti pharmaco fuit usus Galenus.

Sed si interdum, idque non raro, expurganti pharmaco ante venae sectionem uti debemus: quomodo. 6. lib. Epid. par. 2. com. 29. scripsit Galenus, quod si utroque auxilio opus sit, a venae sectione incipiendum esse, est quam notissimum? Dicendum primo, id verum esse in affectibus partium internarum, ut ex Catalogo Hippocratis constat: & in nephritide de qua sibi tunc erat mentio. Dicendum secundo ex Auicenna, quod vehementissimum pharmacum (quale est helleborus, aut scamoniū, aut colocynthidis) non debet propinari ante venae sectionem, ubi utroque indigemus remedio: quoniam sanguinem superaccendit & agit: lenientia vero, & mediocriter attrahentia, propinari interdum debent. Dicendum tertio, quod notissimum est a venae sectione inchoanda esse curationem (ob octo scilicet rationes supra memoratas) nisi vrgētius quid obstat: cacochimia nimirum prima, & vltimae regionis, praesertim autem prima: & imbecillitas virtutis, quae nequit sanguinem detractō, pituitosa, atque biliosa recrementa ita gubernare, ut non incrudentur illa, & excandescant haec.

Fac autem erratum esse pharmacū ebibēdo ubi praemittenda foret venae sectio: & venā etiā secādo ubi purgationē praemittere conueniebat. Quid tum faciendum esse consuleres? Respondet Auic. 4. 1. cap. 20. in haec verba. Et qui ante minutionem praemisit medicinam, cum minutionem praemittere debebat, postponat minutionem diebus paucis: & cui paruum intercessit spacium ex quo minutus fuit, & euacuatione indiget, medicinam sumere ei est conuenientius. Quibus verbis patet, quod ubi erratum est, citius debemus post sanguinis detractionem purgare, quam post purgationem sanguinem mittere: ob maiorem scilicet violentiam a pharmaco, quam a venae sectione naturae illatae. Nec obstat, quod Paulus lib. 7. cap. 6. medicamento purgante in corpore existente venam secat. Id enim facit ubi ad pharmacū assumptum, nulla sequitur purgatio: sed intus ad vasa meant medicamentum sanguinem accedens, & commouens, oculos rubefaciens, & emissitios reddens, aliaque inferens symptomata, perinde ac in veneno epoto faciendum esse monuimus. Aliter autem venam secare neutiquam liceret, ne duae euacuationes contrariae, vno eodemque tempore factae, naturam turbarent, atque corrumpere. Nam ne sic huiusmodi venae sectio, periculo vacare potest: forte enim natura, tarde a medicamento irritata, subductionem tunc cum venam secamus incipiet.

De obseruandis ut iustam quantitatem sanguinis detrahendi praesumas.

CAP. XXIII.

Nihil



**N**ihil aeque medicam artem in suis actionibus coniectricem efficit, atque cuiusque remedij quantitas. Quippe cum frequenter exquisitè sciamus, tempus instare exhibendi aut cibi, aut potus eiusque aut calidi, aut frigidi: tamen quantum dandum sit, certò haud nouimus. Idem in purgantibus etiam medicamentis usu venit, nam quod egrotanti praebendum sit medicamentum, quod aut bilem flauam, aut atram, aut pituitam, aut serosa excrementa vacuet, exquisitè nouimus: ceterum quantum dari oporteat ignoramus: cum tamen quod ita datum est, correctionem subinde nullam admittat. Nam quod semel in ventre ingestum est medicamentum, quominus totum deuoratum sit fieri non potest: neque licet, ubi plus iusto iam purgatur homo, partem eius quod oblatum est auferre. At in sanguinis missione maximum id bonum est, vacationem ubi voles posse sistere: ac rursus quo utique placuerit tempore, iterum ut fluat permittere, quoad rectè tibi habere videatur. Ne autem in hoc munere obeundo erres, primitus oportet considerare, sanguinis mittendi praecipuos scopos, morbi scilicet vim quae postulet, & facultatis robur quod consentiat. His enim auctis maior indicatur vacuatio, imminutis vero tantundem de quantitatis vacatione detrahendum, quantum illi fuerint imminuti, ut libro de Sanguinis missione cap. 12. & 18. Gal. est autor. Deinceps naturale temperamentum est considerandum: quippe frigidi qui angustas venas habent, & exigui sunt sanguinis, nec longam inedia, nec largam sanguinis detractionem tolerant. Calidi vero quibus latae sunt venae, & sanguinis vberiore copiam habent, citra noxam cibo abstinent, & sanguinis missionem facile ferunt, ut. 2. de Temper. cap. 5. Galenus est autor. Quod si calidum simul ac humidum sit hominis temperamentum (quale in natura sanguinea reperitur) sanguinis detractionem bellissimè sustinebit, ut Auicenna autor est, quarta primi, tractatu primo, capite tertio, ubi ita habet. In calida autem & humida, facile faciemus illud, & fortiter. Et libro de Sanguinis missione, capite decimotertio Galenus, venam secare permittit statim post decimum quartum annum, si pueri natura fuerit sanguinea, & reliqua etiam attestentur sanguini. Nec obstat, quod molles, & qui teneram habent carnem, & facile disfluentem, sint minus vacuandi: libro de Sanguinis missione, & primo libro de arte curatiua ad Glauconem, & primo etiam libro de ratione victus in morbis acutis, com. 44. autore Galeno. Non obstat (inquam) nam sanguinei solidam, ac maximè succulentam carnem habent, caloris enim ratione solidescit & cogitur. Qui vero humidi sunt, aut sine caloris excessu, aut cum manifesta frigiditate, teneri sunt, molles, ac albi, angustarum venarum pauci sanguinis, & eorum substantia propter digeritur, & innatum ipsorum calidum extinguitur defectu caloris: cuius est humiditatem gubernare, membra solidiora reddere, colorem ab albo immutare, vasa extendere, & ampla facere, atque copiosum alimentum in multum sanguinem mutare. Calidi vero natura & sicci (quales biliosi sunt) facile ab integris euacuationibus

H 2 offen-

offenduntur primo libro de arte curatiua ad Glauconem, cap. 12. autore Galeno. Quoniam scilicet paucum sanguinem habent, & bilem plurimam: quæ tum excandescente, tum ad os ventris in talibus fluere solet, vt Fusius cap. 17. huius tractationis, dictum à nobis est. Et quæquam istis corporibus, aduersissima res sit inedia 8. lib. Methodi, autore Galeno: est tamen ipsis magis aduersa venæ sectio, ob causas dictas. Nam. 1. ad Glauconem, cap. 12. à venæ sectione abstinens in dictis corporibus, iubet paulatim euacuare inedijs moderatis: quare magis fuit veritus venæ sectionem, quàm inediam. Sed quomodo si calidi & sicci, amplas venas habent, (vt secundo libro de Temperamentis, capite quinto, & septimo, Galenus est autor) & venarum amplitudo sanguinem liberalius detrahendum esse suadet: parcius nunc detrahendum esse monemus? Cui sanè dicendum primo est, quòd si vasa angusta sint, multum ipsa sanguinem capere non possunt: & ob id parcius detrahere conuenit. Si ampla verò, licet multum capiant, non continent necessariò multum: fit enim interdum, vt cum sanguine paucò, reperiatur bilis ingès multitudo: in corpore scilicet admodum bilioso. In quo statu, si multum detrahas, impense lædes. Dicendum etiam secundo est, quòd ampla vasa, semper indicant obeundam esse copiosorem vacationem: vincitur tamen interdum hæc indicatio, ab alijs quæ parciorem fieri suadent.

Frigidi atque humidi, quales pituitosi sunt, quanquam inediam facile ferant, & omnium minimè ab ea ledantur, octauo libro Methodi ad finem, autore Galeno: sanguinis detractionem parum amant. Nam ex inedia, pituita coquuntur, & in sanguinem transeunt: atq; natius calor sopitus excitatur, & alacrior redditur. Ex sanguinis verò detractione, corpus suapte sponte frigidum, magis perfrigeratur, pituita redduntur crudiores, & minimè coquuntur. Hinc mali corporis habitus, hydropæ, orthomneæ, & alia infinita propemodum mala exoriuntur. Frigidi atq; sicci quales melancholici sunt, ex inedia leduntur pessimè: adeo enim tardè reficiuntur, vt nisi longo tempore redire ad naturam, qui ea sunt intemperie non possint, octauo libro Methodi ad finem, autore Galeno. Ex sanguinis quoque detractione malè habent: nam angustarum venarum, & pauci sanguinis sunt, tardeque reficiuntur. Minus tamen ex ea, quàm pituitosi leduntur, Primo, quoniam minus euaporatur siccum, quàm humidum temperamentum. Secundo, quoniam periculum cruditatis, maius est in pituita, quàm in melancholia, quæ est magis excocta. Tertio, quoniam melancholia promptè cum sanguine educitur, quoniam eiusdem est sex & turbulentia: & quoniam licet crassus sit humor, viscidus non est, vt pituita. Quarto, quoniam in copia crudorum, raro, caute, & non sine timore, mittunt sanguinem auctores: in copia verò melancholice audacius. Quòd voluit Aui. 4. 1. cap. 20. his verbis. Et debes scire, quòd non quoties nominata signa repletionis apparuerint, oportet vt minuas: immò quòd est repletio ex humoribus crudis, & est tunc phlebotomia multum impediens: quoniam si minueris non maturabis eos, et timebitur ne æger perdat: non

non autem est inconueniens, vt ille in quo melancholia superabundat, minuat: r: postea medicina solutiua euacuetur. Et libro de sanguinis missione, capite decimo, ita scribit Galenus. At qui in melancholica nominata redundantia, sanguinem mittere prestat, aut omnino medicamento nigros humores purgante vti: crudis autem humoribus abundantibus, antequam ægrotare incæperint caute vacuabis, vbi verò iam febricitant, vt antea dixi nequaquam. Et libro quinto de locis, capite sexto, inquit. Vbi vniuersum corpus sanguinem melancholicum continet, curationem à venæ sectione incipere oportet. Vbi verò cerebrum duntaxat infirmius, quòd ad hunc affectum attinet, sanguinis detractione non indiget. Ex quibus planè constat, in copia melancholice, non tantum esse verèdam sanguinis detractionem, ac in copia crudorum, & pituitæ: & ex consequenti melancholicis minus obest, quàm pituitosis sanguinis detraçtio. Patet etiam quantum sit necessarium, hominis temperamentum nosse, vt detrahendi sanguinis iustam quantitatem præsumas.

Tertia consideratio, quanquam & hæc ad temperamentum reduci potest, ex habitu corporis desumitur. Molles, teneri, calidi, pallidi, raram habentes cutem (præsertim si cum tenuitate humorum iungatur raritas. 2. Aphorism. comment. 28. autore Galeno) angusta vasa obtinentes, obesi, macilenti, eunuchi, parcissimè sunt phlebothomandi: sunt enim hi omnes pauci sanguinis, & qui promptè digeruntur, & reficiuntur difficilè. Contra verò duram carnem habentes, cutem densam, crassos humores, ampla vasa, mediocrem gracilitatem, minimè album colorem, sed rubescentem: quiq; testibus orbat non sunt, extremas vacationes tolerare possunt.

Quarta obseruatio, vt in mensura detrahendi sanguinis non erres, ex ætate ægrotantis sumitur: neq; enim pueri, neq; seniores integram vacationem ferunt, Galeno autore primo ad Glauconem, cap. 12. Intermediæ ætates, integras vacationes admittunt: adolescentes minus, nam pluri sanguine indigent pro nutritione & cimento: iuuenes magis, nam solidiori constant carne, & iam augeri desuerunt. Inclinant verò maximè omnium sunt vacuandi, nã nec augentur, nec molli carne consistant, nec vires habent inuvalidas, nec tanto sanguine opus habent vt iuuenes (quoniam eorum habitus ad frigidioram naturam cœpit mutari, lib. de ratione victus priuatorum, comment. 7. autore Hippocrate) nec periculum est in ipsis de excandescencia bilis, vt in iuuenibus: nec de cruditate pituitæ, vt in senibus. Vnde in ferèda inedia Galenus (1. lib. de ratione victus in morbis acutis) puero non obiecit iuuenem, sed quadragenarium: quoniam hic vacationi, & inedia ferenda, magis erat idoneus. Decrepiti omnem euacuationem recusant: primi senes, mediocres venæ sectiones admittunt: seniores, cautius sunt tractandi: sunt enim quidam qui sexagesimo ætatis sue anno, sanguinis missione non ferant, & alij qui septuagesimo ferunt, libro de sanguinis missione cap. 13. autore Galeno. Et sunt quidam apud Auerrohem septimo colliget, qui vsque ad octoaginta annos tolerant phlebotomiam. Et meminimus me vidisse Ferrariæ (dum ibi agerem) quendam Ramisum nomine, qui nonaginta



annos nactus, frequēti venę sectione, ab scabie & pustulis rubris, quibus per interualla scatebat liberabatur. Erat autē hic musculosus, et in omni actione firmus. Ex exemplis autem, ea censuit Galenus esse præstantissima, quę vnusquisq; nostrum oculis vsurpauit.

Quinta ex consuetudine summitur obseruatio, nam qui soliti sunt vacuari, facile tolerant euacuationem. Non modò autem per consuetudinem euacuationum, comparatur in nobis tolerātia, sed & indigētia. Apertè enim læduntur, & graues morbos incurrūt soliti vacuari, si nō vacuentur largius quā insoliti: quātūuis garriant scioli quidam, existimantes hanc opinionem esse vulgarem, & medicis indignam. Neq; hac in parte Galenus ad finē libri de assuetudinibus, philosophū magis, quā medicum agens: rectè mihi sapere est visus. Ad hunc enim scribit modum. Mibi autem non videtur, corpora propter consuetudinem, indigere huiusmodi euacuationibus, sed propter quam causam indiguerunt prima euacuatione, vel natura operāte eam, vel aliquo homine secundum æstimationem medicinalem: ita rursus & pluries indigere ipsa in eisdem. Quidam enim prauis diætationibus, quidam autem propter præparationem prauam corporis, acruantes sanguinis multitudinem, vel cacochimiam, à prædictis euacuationibus iuuātur: natura, vel aliquo medico, quod superfluum effundente, antequam egrotet homo. Quibusdam autem egrotantibus, crisi in huiusmodi excretionibus, ægritudinis sanatio facta est. Quidam autem à medicis curati sunt similibus auxilijs vsi. Deinde post capti simili ægritudine, curatiq; per eandem, si vtiq; aliquando rursus eis, vel totius corporis grauitas, vel capitis solius inæqualitas aliqua, vel quid eorum quę præternaturam aliud superapparet, communicantes medicis, propter ipsam dubitare aiunt capi eisdem ægritudinibus, quibus antea capti fuerunt, præcedentibus similibus symptomatibus: deinde anticipantes, vel per purgationem aliquam, vel per sanguinis ablationem, effugere expectatam ægritudinem, paratius ad idem accedunt auxilium, cum senserint aliquod simile symptoma, post aliquādo incidens eis. Quidam autem & antequam sentiāt, terminum præuidētes temporis, secundum quod in determinata periodo talium passi sunt quid, euacuari anticipant: nominantq; præseruatiuam euacuationē in assuetudine factam eis: nec vllam alterationem corporis ex huiusmodi euacuationibus accipientes, qualem monstrati sunt accipere in antedictis: sed ab eadem causa eadē patientes. Si igitur mutauerint diætā, paucioribus cibis vtentes, addentes autem exercitijs, in egrotabiles perdurant, ex assuetudinum alteratione iuuati, non quemadmodum dicti prius nociti. Nō enim assuetudinis ratione, per euacuationes continebat iuuari eos, sed in praua diætā cacochimiam, & multitudinem acruantes. Ex quibus planè Galeni verbis, fit manifestum: quòd consuetudo euacuationis, nō poscit euacuationem, vt causa quę id suadeat: quanquam vt signum, monstrat corpus solitum esse repleti: & ideo opus sibi fore euacuatione, aut victu tenuiore, aut exercitio abundantiore: nam & his duobus sine euacuatione superuacuum demetur.

Quę

Quę tamen (me iudice) sententia, repugnat experimentis, rationi, & ipsi etiam Galeno sæpe albi. Nam libro tredecimo Methodi ad medium, inter indicationes euacuationis, recenset consuetudinem, tanquam præscribentem quantitatem. Sunt autem hæc eius verba. Modum verò euacuationis, tum ex redundantie modo, tum ex reliquis quę in superioribus diximus inuenies: etate, natura, tempore anni, regione, consuetudine, tum ante hac, ipsa laborantis virtute. Tertio præterea libro Aph. com. 15. Veretur ex crebra purgatione in prauā consuetudinē incidere: ita enim scribit. Si verò quispiā voluerit, bis in mēse, aut semel saltem purgatione vti, veritus ne superfluitatum multitudo aggregetur: præter id quòd nocebit, corpora etiam in malam trahet consuetudinem. In fistula insuper antiqua quę diu manauit, aut diurnis hæmorrhoidibus curandis si vlti id est vna (frustra enim eam diætationem demit Aëtius libro. 14. cap. 5.) non seruetur, periculum est extinctio- nis calidi innati, tabis, hydropæ, morbi lateralis, pulmonie, phagedæne, terebinthi, atq; similibum morborū, vt. 6. lib. Apho. com. 12. & 6. lib. Epid. par. 3. com. 37. 38. & 39. autor est Galenus. Vt quid ergo nō est par periculum per recentes hæmorrhoidas: si diurnitas non poscit magis, quā nouitas seruandas esse apertas? nō credo dices hic diurnitatem permittere & nō poscere. Homo præterea temperatus qui assuevit balneo, ex balnei omissione febricitat, qui tamen ante assuetudinē non egrotabat. Quin nec ipsa corpora intemperata, ex balnei omissione læduntur, si balneis nō assuescāt prius. Cum tñ assueti, sint rariore insuetis, & magis distentur quā ipsi. Petit ergo balnei consuetudo balneari, & consuetudo exercitij exercitari, & consuetudo hæmorrhoidarum, ipsas apertas seruari, & consuetudo clysterum, clysteres infundi. Reddit enim huiusmodi consuetudo, naturam oblitam operis exercendi: vt quotidiano constat experimento, & notat Auicēn. 4. 1. cap. 5. Quare per frequentationem clysterum, non modò comparatur nobis tolerātia, sed etiam indigentia eorundem. An si in vno das, negabis in alio? cur assuetudo balnei, exercitij, clysterum, fistulæ, aut hæmorrhoidis, postulat, balneum, exercitium, & clysteres esse adhibendos, fistulam & hæmorrhoidam seruandas: assuetudo verò venę sectionis, aut expurgationis, non indicabit similiter? Vis in sanguinis missione rationem ab ipsa experientia, & natura desumptam tibi exponam? Audi. Natura nostra ex se, mediocri alimento est contenta: fit tamen interdum ex praua consuetudine vorax, & post conquistam voracitatem, mediocri illa mensura priori non satiatur, sed plura poscit alimenta: vt in athletis antiquorum, & in nostri temporis heluonibus, qui quantum expleri, saturari tamen dix posse cōperies. Contra si parcissima vitæ assuescat homo, paulatim discit eius natura, exiguo admodū cibo saturari: & mediocre illud, quod prius fuerat naturale, nō fert sibi exhiberi, sine ructu, fluctuatione, ac demum sine morbo. Quod in religiosis plurimū ieiunare assuetis aduertes. Porro quod vetriculo contingit ex cibis, id reliquis mēbris ex sanguine contingere puta. Nam si membra corporis assueuerunt

H 4 plurimo

plurimo sanguine nutriri, plurimo indiget: nec sibi sufficiet mediocre. Si vero assueverit propter frequentes venæ sectiones pauco sanguine saturari, ubi plus aliquid creuit is, inutilis sarcina redditur, quæ vacuari postulat. Et certè nihil dissimile habet, si nō assuetus cenare cenet, aut si assuetus vacuari non vacuetur: vteruis enim necessariò læditur, quia pluri alimento vtitur, quàm sua consuetudo ferat. Vides quomodo consuetudo vacuandi, non modò comparet nobis tolerantiam, verum etiã indigentiam euacuationis. Et profecto si pluri alimento assueuisse, comparat membris pluris sanguinis indigentia: non est cur sanguinem sæpius detraxisse, non comparet eisdem, sanguinis sibi detrahendi necessitatē. Sed hæc de re proposita sint satis, abundè enim libro de Temperamentis, diximus quid sit consuetudo: & quòd nec sit dispositio ad naturam, nec habitus: & quòd omnes nostri corporis facultates, tam naturales, quàm arbitrariæ, assuescant, & quomodo.

Sexto, est aëris nos ambientis qualitas obseruanda. Nam (vt autor est Gal. lib. de sanguinis missione, cap. 14.) duo sunt propter quæ quantitas vacuationis maximè coniecturalis efficitur: laborantis nimirum natura, & ambientis temperamentum. Qualis autè sit ægotatis natura, nemo exquisitè scire potest: sicut nec aëris temperamentum à vena secta, quale sit futurum dignoscere possumus: in horas enim singulas, interdum aër mutatur, fitque interdum æstuosissimus, aliàs verò alget: in illo sanguis, atq; spiritus, deficit & exoluitur: in hoc verò perfrigeratur, & extinguitur. Quare tam calor, quàm frigus continentis, de sanguinis extrahendi quantitate detrahit: alia tamen atq; alia ratione, vt libro de sang. miss. cap. 6. & cap. 14. scribit Gal. Impares autè vires, calor, & frigus, impediendi vacuationē sortiuntur: nã calor quiuis continentis, etiã si non sit immodicus, de vacuatione tantum detrahit, quantum inanit: inanit autè semper p sui mēsurā. Frigus verò, si nō sit immodicum, non modò sanguinis missionem non dehortatur, verum & eandem largiorē fieri poscit: quoniam retinet & sanguinem dissolui prohibet. Hinc Gal. 9. Methodi ad mediū, frigiditatem & humiditatem continentis, vacuationem indicare tradit. Intelligendæ sunt autem hæc qualitates non immodicæ: quæ scilicet dissolutioni resistent, & corpus perfrigerare non valeant, vnde: 1. lib. de ratione vitæ in acutis, com. 44. inter indicationes inedia ferendæ, memorat hyemem non admodum frigidam: quæ scilicet temperatam, tum frigiditatem, tum humiditatem obtineat: cuiusmodi nobis semper est hyems, nunquam enim per eam valde rigemus, sicut Galli atq; Germani. Ob idque intrepidè per hyemem, sanguinem nostris ægris detrahimus: quanquam sint inter nos plurimi, qui hæc minus intelligētēs, hoc tempus caueant maximè. Sed iam hic de ambientis humiditate dubitabit quispiam, nam si ea corpus humectat, & corpus humidum prohibet vacuationē, quoniam dissolubile reddit ipsum: vt quid humiditas hyemis temperata, vacuationem poscit? Huic sanè dicendum, quòd vnius tēpestatis humiditas, non sufficit mutare corpus ad humidū, ob tarditatē suæ actionis: præsertim in solidis, quorum mutatio sola, est

potis

potis impedire vacuationē. Sed si non impedit, cur hortabitur? Responde ex Gal. 1. lib. Epid. temp. 2. com. 7. id fieri quoniam humiditas aëris, nō modò non remouet à corpore quicquam, verum etiam adycit. Non enim remouet, quoniam membra solida dissolutioni non reddit opportuniora, vt diximus: adycit verò humoribus, & plenitudini, humectando: sicut siccitas exsiccando inanit. Reliqua de hoc proposito dicta à nobis sunt cap. 13. huius tractationis.

Obseruare præterea vniuersam vitæ rationem antea actam oportet, nam si parum ante morbum, curis, vigilijs, laboribus, venere, cibi parcitate, aut quouis tali, emarcuit æger, minus detrahere conuenit. Contra verò si otio, somno, continentia, & cibus multi nutrimenti, fuerit vsus, audacius sanguinem mittere oportet. Hinc Auicenna. 4. 1. cap. 3. sic scribit. Et oportet ne illum euacuare sis ausus, qui ex consuetudine parum comedit, quandiu ab eius euacuatione abstinere poteris. Intelligendus est autem hic Auicennæ locus, si perseverauerit æger in sua consuetudine. Nam si assuetus parcitati, parū ante morbū ab ea descuerit, cibusq; multi nutrimenti, carne scilicet, ouis, et vino, se impleuerit: multò audacius ei sanguinē detrahes, quàm si liberalius educatus fuisset antea. Quòd enim præter cōsuetudinem vltimo additum est, id superabūdat prorsus, & vacuari postulat. Vnde Gal. 1. de ratione vitæ in acutis. com. 44. hominē fingens inedia ferendæ aptissimū: statuit ægrū cibus nō multis assuetū, & ciborū multi nutrimenti varietate abusum. Cōtra verò ineptissimū describit, multis cibus assuetum, qui præter consuetudinem, pauca oleracea & quæ parum nutriunt esitauerit. Qui ergo assuevit vitæ parcissimæ, & suā assuetudinem non violat, parcè est vacuandus: quoniam nec validas habet vires, nec plurima excrementa in eo redundant. Si verò præter consuetudinem, ante morbū impleatur, largius est vacuandus: nam omne quod additum est redundat, & vires parcitati assuetæ, vacuationem ob assuetudinem parcitatis non malè tolerabunt. Non modo autem antea actam vitam considerare oportet, sed eam quæ nunc agitur in morbo: curæ enim, vigiliæ, tristitiæ, inedia, ambiens calidum & siccum, sensiles euacuationes: sanguinis scilicet copiosum profluuium, sudores plurimi, vrina, vomitus, aut alui excretio superfluens, citò corpus extenuat. Sic & plures motiones, sed hæc rarò febricitantibus adsunt, nã magna ex parte iacent quiescentes. Verum aliquando contingit moueri aliquos, qui in itinere cœperint febricitare, vel vrgēte necessitate, vel studio domum reuisendi. Sed ex delirio quidam ægroti iugiter se attollentes, vel iacentes quidem, sed continuo partem aliquam corporis commouētēs, aut etiam delira loquentes, intra paucos dies extenuantur. Vt scribit Gal. 2. Aph. com. 28. Ob idq; rectè à medicinæ autoribus consulitur, phreniticis minus quàm oportet sanguinis detrahendum fore: ob plurimam quæ in ipsis, ex vehementi motu contingit dissipationem. Minus quoque in reliquis omnibus, quæ virtutem exoluere diximus, detrahere conuenit. Sicut & in accidentibus quæ post venam sectam relinquuntur, id perinde facere consuluit Gal. 1. lib. ad Glauconem, cap. 12. in dolore

H 5 scilicet

scilicet, vigilia, conuulsione, & alui profluuio, minus enim in his detrahere iubet, quam aut morbus postulet, aut praesens vis ferat, ut vires seruentur, quae hac in posterum debent perferre. Os quoque Ventris considerandum est, quibus enim amara abundat bile, aut imbecillum est, aut valde sensibile, parcius conuenit detrahere ob impendentem syncopam, nono libro Methodi autore Galeno: quibus verò firmum est, nec amarulentum, nec plurimi sensus, audacius.

Febris praeterea diturnitas, ex ijs est quae corpus extenuant, & parciolem ob id vacuationem fieri suadet, ut virtus longiori tempore sufficiat. Ipsius insuper febris acumen, & magnitudo validè dissipans, non modò iustam sanguinis quantitatem detrahere impedit: verum & vires debere firmari ventriculo idoneis alimentis indicat. 1. lib. Prog. com. 8. autore Gal. Tales autem sunt causi quidam, qui primis statim diebus, vultum exitiosum (qualis ab Hippocrate pingitur) reddunt. De quibus Auic. 4. 1. cap. 20. ita scripsit. In febribus autem à minutione cauendum est, scilicet in his quae vehementis sunt calefactionis & inflammationis. Et paucis interpositis rursus scribit. Et si vrina fuerit subtilis, aut ignea, aut facies à principio aegritudinis fuerit tornatilis, caue tibi à phlebotomia. Haec autem latius fuimus prosequuti, capite decimosextimo huius tractationis, quo lector recurat.

**Quod antiqui copiosius vacuabant quam nos, quoniam robustiores homines aetas illa ferebat.**


CAP. XXIII.



Antiqui multo copiosius quam nos sanguinè mittebant: nam Galenus libro de sanguinis missione, cap. 12. libras sex sanguinis suis aegris detrahebat: nemo verò nostrum tam audax est, ut dimidium subtrahat. Et eodem libro, cap. 14. memorat adeo aduersam quibusdam venae sectionem esse, ut vix libram cum dimidia, sine detrimento tolerare possint. Ex quo patet, quod ea erat suo tempore quantitas valde exigua, cum nobis ferè sit maxima. Et eodem capite scribit. Quod quantitas quae effluere potest ex venis pedum, aut ex eis quae in summa manu inciduntur, non est effatu digna: cum tamen nos ex istiusmodi venis, integras sanguinis detractiones faciamus. Fit ergo è duobus vnum, aut quod venae ille plus sanguinis nobis, quam antiquis concedat, aut quod quae illis non erat effatu digna, nobis sit maxima vacuatio. Cuius certè causa est, quod natura nostra imbecillior semper sit, & minora detrimenta ferre, quam Galeni tempore potest: sicut & Galeni tempore imbecillior erat, quam viuente Hippocrate, & afflictationibus ab helleboro inductis, non adeo resistebat, ut ipse scribit. Ob id enim nec febre vacuis, aut det ipsum propinare. 2. lib. de Fracturis, com. 27. & 29. Accessit labanti naturae, maior nostri temporis victus incontinentia, & imminutum exercitium, quae vires enervant,

eneruant, sicut contraria roborant. Nam & ob id eunuchi, & mulieres menstruant, quae tempore Hippocratis non podagrizabant: Galeni tempore podagra laborarunt. Et pueri quos Galenus non vidit podagra correptos, nobis non raro sunt visi grauius eo morbo detineri. Adde quod cum simus in quos fines seculi deuenimus, iuxta beatum Apostolum: elementa & mista quae nos alunt, minus virium habent. Non parum ad hanc rem facit, quod nostro aeo, ante iustam aetatem gignunt homines, & imbecilliores ob id semper creantur posteris. Antiquis verò iustum tempus erat, in viris tricesimus quintus annus, & in foeminis decimus octauus, ut auctor est Arist. 7. lib. Politicorum ad finem: qua aetate vegetiores, & firmiores foetus prodixisse, verisimile est, & comprobatum multis historijs, ac testimonio visus in se pulchris antiquorum: in quibus ex ossium magnitudine aperte intelligimus, illorum corpora fuisse longè maiora nostris. Hinc sex librarum sanguinis detractionem, vastissima illa corpora tolerabant, libro de sanguinis missione citato: & in eadem quadraginta dierum, apud Hipp. 2. lib. de Fract. sent. 49: & hellebori afflictationes. 2. de ratione victus in morbis acutis, com. 12. & 2. lib. de Fract. citato: & frequentem vacuationem ad syncopin, 1. Apho. com. 23. nam frequenter incidit tres casus, ibi memorati à Galeno: & detractione sanguinis donec color ipsius mutetur, 2. lib. acutorum, com. 11. Quae omnia, aut plura, nostro tempore, viribus iam magis deiectis, raro vacat suspitione. Et quaequam interdum casus ferat, in validissimo homine, maximo morbo prebenso, horum quaedam debere adhiberi: pererratissimum id est.

**An ad animi deliquium, vacuare aliquando conueniat. Et quot sint imbecillitatis cordis differentiae & cause.** CAP. XXV.



Inter cordis incommoda, eiusdem generis sunt exolutio, animi deliquium, tremulus cordis motus, & syncope: sola maioris, atque minoris ratione distantia. Exolutio enim (quam Graeci vocant) cordis quaedam est imbecillitas, qua sensus perturbari, & membra relaxari apparent, sensus & motus parte aliqua seruata. Animi deliquium (quod λειπωθυμια & λειποθυμια appellat) maior imbecillitas est: sensu scilicet & motu hominem priuans, robur pulsum, & magnitudinem minuens, per quam omnino non sudant, ut scribit Aëtius, libro. 5. capite. 96. & capite. 101. Errant enim valde, qui exolutionem ab animi deliquio non separant, nam diuersa esse censuit Hipp. 7. lib. Aphor. sent. 8. Errant quoque, qui inter λειπωθυμια, & λειποθυμια, discrimen statuunt. Hippocrates enim quandoque vno, interdum altero nomine, eundem affectum intellexit, ut patet legenti vigesimum tertium Aphorismum primi libri, & octauum septimi. Nec minus apud Galenum confundi



confundi, sit manifestū, i. de arte curatiua ad Glauconē, ubi verbo *λεπτοσύνια* utitur, & lib. 12. Methodi, ubi utitur *λεπτοσύνη*, eandem utrobique rem intelligens. Per has autem duas affectiones (exolutionem scilicet, & animi deliquium) magis patitur vis animalis, quam vitalis. Cor enim, ceu imperās, atque gubernans, suae imbecillitatis conscius, retrahit ad se spiritus ex vniuerso corpore, & organis sensuum, adeo ut in exolutione, sensus & motus perturbentur, & in deliquio, deficiant. Per spiritus verò attractos, cor sibi suppetias tulit, & non aequè proinde fuit laesum: quāuis sua fuerit lesio prior, ut voluit Auic. 11. 3. tract. 1. cap. 2. in fine, ubi ita scribit. Et quando accidit humoribus diminutio ex quantitate necessaria, primum nocuumentum illius est in corde, quare alteratur complexio eius. Tertius affectus ex memoratis, tremulus cordis motus erat: qui ex maioris facultatis imbecillitate prodit. Nimis enim imbecilla facultas, loco pulsationis palpitāt, & tremit, sicut & pulsus eadem ratione caprizat: cuius certè causa est, quod imbecillitatis causam, (ingentem scilicet intemperiem, malignum humorem, aut tetrum vaporem) cor ipsum anxie conatur excutere: cumque sit imbecille redditum, motum edit qui palpitationi est similis, ut in maximo vitalis facultatis incendio, notauit Gal. 4. Aphor. com. 65. & in eo, cui dum exolueretur, cor fortiter palpitabat. 2. Aphor. com. 41. Hic motus tremulus cordis quando superfluit, permutatur ad syncopin, & etiam ad mortem, autore Gal. 2. lib. Aphor. com. 41. & Auicenna. 11. 3. tract. 2. cap. 1. Fit enim syncope, ex maxima cordis imbecillitate raptim eueniente: nam si sensim eueniat, syncope non fit: qui enim paulatim moriuntur, non syncopizant. Vnde Galenus. 12. lib. Meth. Syncope (inquit) est praecipitium virium lapsus. Et Paulus lib. 3. cap. 34. dixit eam esse confertim, seu simul totum virium collapsum. Ob idque à Graecis *συνκοπή* nominatur à verbo *συνκοπίζω* latine ferio, verbero, seu cōcido, derivatum: ita ut nobis significet, non modò defectum aliquem animi, sed eius simultaneam concisionem. Sunt enim omnes morbi cordis, si ad morbos reliquorum membrorum comparètur, seuissimi: syncope verò, inter cordis morbos acutissimus est. 2. Aphor. com. 41. autore Galeno. Statim enim per eam, omnes corporis vires vitales, animales, & naturales concidunt. Nam ut autor est Gal. 5. lib. de locis affectis, omnia nostri corporis mēbra, peculiari cordis tēperie seruātur, & actiones suas obeunt: & ea deficiente, tū ipsa, tū suae actiones deficiunt. Cum ergo per hūc affectū, cor maxime patiatur, & omnium spirituum raptum ad se faciat: nihil mirum si alia omnia destituantur, & concidant. Hinc syncope prehensi, pulsu carent, aut paruissimos, imbecillimos, & ex longis interuallis edunt, virtute vitali concisa: sine sensu & motu iacent, adeo ut vix spiritu tersum speculum maculent, animali facultate ferè demortua: frigido quodam sudore (syncoptico appellato) respersi sunt, naturali virtute alimentum, & roridam humiditatem, nec calfacere, neque continere valēt. Vnde Galenus. 12. Methodi in fine, iuuenem ex æruginosa bile, os ventriculi mordente, conuulsam & syncopizantem pingens, cum conuulsione (inquit) & syncope

etiam

etiam guttae quaedam frigidae, & pulsus in summo gradu parui erant. Aetius praeterea loco superius citato, quomodo animi deliquium, & syncope differant ostendens, ita scribit. Animi deliquium de repente incidit, sensu & motu hominē priuans: & omnino non sudant. Syncope verò, & vigilantes, & dormientes inuadit: & omnino cum sudoribus qui *συνκοπίζω* appellari solent. Cuius certè causa est, quod naturalis facultas, cum crassior sit ipsa, & crassiore materiam tractet: posterius quàm animalis trahitur in consensum. Et ob id imbecillitas quae animi deliquium parit, sensum, & motum adimens: frigidis sudores non inuehit, donec aucta syncopam adducat. Est ergo prima imbecillitas cordis, exolutio: per quā sensus & motus voluntarij perturbantur, & pulsus aut perstant integri, aut parum admodum mutantur. Appellatur autē nobis patrio nomine, huiusmodi imbecillitas, *Ahiliamēto*. Secunda imbecillitas est deliquium, per quod pulsum robur, ac magnitudo minuitur, motus & sensus priuantur, & non fit sudor: facies tamen est mortuo similis. Tertia imbecillitas, est tremulus motus cordis, per quē cor & arteriae adeo palpitāt, ut ægrotantes ipsi (etiam sine manus appositione ad locum cordis) saltum percipiant. Cuiusmodi pulsum, ab externa causa experiuntur, qui subito verecundantur, aut horrent. Omnium vltima est animi concisio: quoniam ut tres aliae antecedunt eam; ita & mors sequitur eandem. Quod exolutio, & palpitatio, antecedant syncopin, constat ex Gal. 2. lib. Aphorism. com. 41. Quod verò animi deliquium antecedere soleat eadem, ipse scripsit clarè Galenus, lib. 12. Methodi ad medium, & 1. lib. de arte curatiua ad Glauconem, cap. 12. Quod item syncopin ipsam, frequenter excipiat mors: nec est rarum, nec admodum difficile.

Harum imbecillitatum cause, quāuis multae esse possint, omnes tamen aut cordis spiritus, aut solidum eius corpus offendunt: nam in his duobus, virium quibus regitur corpus, essentia consistit 12. lib. Methodi, autore Galeno. Atque ut eorum substantia, certa esse & quantitate & qualitate desiderat, ut integrum seruetur animal: ita si iustam aut quantitatem, aut qualitatem non seruet, redditur imbecillum. Tam solidorum autem, quàm spirituum tēperies, offenditur ex primis qualitatibus, incalescēs, frigescens, humidior, aut siccior reddita. Offenditur quoque praua qualitate, aut quae ex vitiosis prouenit succis, aut ex ambientis aëris malitia, quae alias alia de causa in hāc est mutatus: utpote ex metallis, caminis, aut baratbris: aut ex leguminum putredine, olerum, vel animalium, aut si halitum ex stagnis, vel paludibus, vel fluminibus recipiat: itē ex venenatis facultatibus, aut animalium quae virus deieciunt venenis. Solidorum verò quantitas, dissipatur in longissimis morbis, prae nutritionis defectu: & in febribus acutis quae corpus colliquant. Spiritus resoluuntur, ab animi accidentibus, ingenti dolore, pluribus motibus (cuius generis & vigiliæ sunt) ab immodica ipsorum tenuitate, & corporis raritudine: tum verò ante haec omnia, ex ipso respiratu prohibito, & nutrimenti defectu. Inter omnia verò quae spiritus exhauriūt, primas tenet superfluae vacuationes subito factae, siue

sive à natura, sive ab arte fiunt. Vnde. 6. Aph. sent. 27. ita scribit Hipp. Quicumq; suppurati, aut hydropici vruntur, pure aut aqua vniuersim fluente, omnino intereunt. Et in cōmentario Galenus. Videmus (inquit) & in alijs partibus aequae atq; in thora ce, quando aliquis magnus tumor suppuratur, periculosum esse subito multū euacuare, cū euestigio deficiat anima, viresq; concidant, nec postea debilitas ista facile remediū habeat. Videtur itaq; in his propter magnā vulneris distantia, & puris acrimoniam, ora quorundā vasorū arteriosorū adaperiri, quae prius veluti quoddā operculum pius continebant: quo vniuersim euacuato, multi cū eo spiritus exeunt, atq; excernuntur: vnde periclitantur. Adde rationem, quod praeter haec arteriarum ora, nulla in nostro corpore est pars, vacuitas, aut excrementum, quod spiritibus volitantibus per vniuersum corpus non sit plenum. 5. Simpl. med. cap. 8. autore Galeno. Alioqui pessimè corrumperentur excrementa omnia innati caloris defectu, & in veneni naturam transirent. Quoduis ergo excrementum subito vacues, plurimam spiritus substantiam perdas oportet: ex cuius vacuatione, exoluuntur; relinquuntur animo, corde tremunt, concidunt, & interdum etiam moriuntur egrotantes. Quae si ex meri excrementi vacuatione accidunt, multo satius ex copiosa phlebotomia, contingent: per eam enim vacuatur sanguis, qui etiam si vires non constituat, vt constat ex Galeno. 12. libro Methodi citato: proximus tamen est temperamento spirituum, ex quo & ipsi generantur, & cor etiam nutritur. Vnde increpescens ad certum terminum, auget vires, libro de Plenitudine autore Galeno: quoniam scilicet materia est generationis spirituum, & nutritionis membrorum solidorum, in quibus virium essentiam consistere diximus. Extractus verò per venae sectionē, cōtraria ratione diminuit vires: tū quia deficit materia spiritibus generandis, & nutriendo idonea: tum etiam quia pluri spiritu abundat, qui vt est sibi commistus, ita cum eo vacuatur & expirat. Quare si venae sectio larga, & simultanea fiat, non modò reddetur per eam imbecillis facultas, sed interdum etiam eius sequetur interitus. Quod tribus accidisse medicis, refert Gal. lib. de sanguinis missione cap. 12. & 9. lib. Methodi, cap. 4.

An verò tanta possit esse magnitudo morbi, & virium robur, vt ad aliquam ex dictis imbecillitatibus, pra euacuatione, agrum cogere debeamus, dubium est. Ad duas sanè posteriores, tremorē scilicet & syncopin, nullū autorē lego egros duxisse. Galenus enim interim dū fluit sanguis, pulsum tāgere praecipit, vt cōstāte ad huc facultate supprimatur. Primo, ob maximū periculum non redeūdi ad se, iuxta Aphorismū tertium libri primi. Neq; cōpressiones ad extremū ducenda: (periculosum enim) sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Secundo, nam si redeant, tam redibunt imbecilli, vt non possint, aut symptomati alicui, aut ipsi etiam morbo, si aliquis maneat sufficere. Tertio, nam imbecillima reddita facultas, non tolerabit sudores, vomitiones, & alui profluvia, quae post huiusmodi sanguinis missionem sequi solent: quorum ratione magna ex parte salus sequitur.

sequitur. Ad animi verò deliquium, sanguinem detrahit Galenus tribus casibus, libro de sanguinis missione, cap. 12. Nono lib. Methodi, & i. Aphor. com. 23. Vbi scilicet feruentis sanguinis copia acutissimam accendit febrem: aut ingentem efficit phlegmonem: aut infert validissimum dolorem. Si enim ab alijs humoribus quam à sanguine ista oriuntur, expurgare nō phlebotomare iubet: ad idq; distinctionē prius adhibet. Vbi verò à sanguine oriuntur, triplex sequitur vtilitas ex eiusmodi venae sectione. Prima est totius corporis refrigeratio, ex ipso animi defectu, qui sui naturae refrigerat: qua nihil vtilius, neq; iucundius, agris ipsis, & naturae quae animantes gubernat, excogitare possumus. 9. libro Methodi, cap. 4. autore Galeno. Vtilis enim est in contrarium statum permutatio, & qui in naturam fit redditus iucundus. Secunda vtilitas est alui purgatio, quae talibus contingere solet semper: vomitus etiam bilis frequenter. Has duas, excipit vtilitas tertia: sudor scilicet mollis toto emanans corpore. Maximum ergo est vbi valentes vires sunt, cōtinentium febrili, ingentium phlegmonarum, & vehementissimorum dolorum, qui ex feruentis sanguinis copia oriuntur remedium, sanguinis ad animi deliquium detractio. Vbi verò vires non adeo constant (quanuis copiosa conueniat vacuatio) non tamen ad animi deliquium agrum ducere conducit. Huiusmodi enim vacuatio, non cōceditur à Galeno, nisi in robustissimis viribus. Cum autem nostro, quam Galeni tempore, minus constet facultas (vt diximus cap. 24.) necessarium est vt ante animi deliquium, (in ipsa scilicet exolutione) cessemus à detrahendo sanguine: nec spectemus pulsū per mutationem, nec sensus & motus abolitionem. Sufficiet etenim nobis aliquantis sensuum perturbatio incipiens, quae semper augetur, atq; fit maior, clausa vena: eò quòd post exercitum impetū prodeundi, cor magis atq; celerius reuocat ad se spiritus qui per corpora circumferuntur: vnde sensus, & motus, interdum magis, & citius perturbantur, interdum verò deficiunt vena iam clausa, quam ipso sanguine fluente. Quare si ad animi vsq; deliquium, permitteremus sanguinem fluere: non esset à ratione alienum, aucta (post clausuram venae) reuocatione spirituum ad cor, veram syncopin, atq; etiam mortem aliquando sequi. Vires enim nostrae, imbecilliores quam tempore Galeni, non tolerant tantam retractionem vt ille: sicut & eo ipso tempore, quae robustissimae nō erant, ipsam nō tolerabāt. Nec tamen minus proficua nobis est exolutio, quā veteribus erat animi defectio. Primo, quia securior. Secundo, quia exolutio corporis habitum refrigerat, & estuantem pariter naturam recreat: vnde expultrix facultas potentior reddita, humorem residuum, deiectione, vomitu, aut sudore expellit. Tertio, quia vis in exolutione manet robustior, quam si ad animi deliquium duxisses: hoc autem residuum robur, valde est necessarium reliquis morbi ferendis. Fortè enim aliquid relinqueretur tūc non excretū: cum praesertim caput iam humor putrere. Nam in febre continente citra putredinem, audacius quam in ea cuius sanguis putret, sanguis est educendus: quoniam in illa nullus, in hac alter extinguendae putredinis, est nobis exanthlāndus labor. Nec obstat, quòd Gal. 9. Methodi, in vtraq; febre

febre, tã putrida, quã nō putrida, sanguinē detraxit ad animi defectū: id enim ad vi-  
res suo tempore robustissimas est referendum. In ingenti quoq; inflammatione, aut  
in validissimo dolore, nō licebit tam larga vti sanguinis detractio, quã in febre  
continente. Nam non vt febris necessariò ex animi deliquio refrigeratur, ita &  
dolor sedatur, & inflammatio prorjus demitur, quin potius relinquatur dolor, &  
inflammatio in parte, quæ virtutem postea sunt diuexatura. Ob idq; in dolore. 1. ad  
Glaucōnem, cap. 12. cōsultit minus sanguinis detrabere, quã pro multitudinis ra-  
tione, vt supra. 10. cap. diximus. Ob id etiam cum inflāmatio est maligna, minus de-  
trahit Gal. lib. de sang. mis. cap. 14. Ob id etiam cum putredo, aut obstructio subest,  
aliquid sanguinis ad curationis spatium reponit. 11. libro Methodi post medium.  
Quauis autem minus quã in continentibus citra putredinem, & minus interdū,  
quã pro multitudinis ratione, sit in doloribus detrabendum, vt virtus non deficiat  
dolori deinceps tolerando: vbi tamen dolor maximus est, à feruentissimi sanguinis  
copia, & validissima fluxione ortus, ad animi vsq; deliquium detrabere conuenit.  
Vbi maximus (inquam) est, nam magnus ad sanguinis missionem requiritur, quæ si-  
ne morbi magnitudine exequi non debet. Vt magnus ergo dolor sanguinis missionē  
postulat: ita maximus, maximam quæ animi defectum inuebat. Vtq; ad sanguinis  
missionem non debemus spectare, doloris, aut morbi magni presentiam, sed imminē-  
tiam, vt futura mala auertamus: ita non debemus spectare leuissimi, ac maximi do-  
loris presentiam, sed ex impetu fluxionis, plenitudine, calore, dolore, & assuetudi-  
ne similem dolorem patiendi, de maximis esse futurum coniectabimus, eiq; obuiam  
ibimus ad animi vsq; deliquiū, à morbi ipsius initio detrabētes. Alioqui ante statū,  
in quo symptōmata sunt: grauissima, sanguinis eiusmodi detractio nō tentare-  
mus: quod esset agris valde perniciosum. Si tamen hac prouidentia non usus fuisset,  
creuitq; ad summum inflammatio, & dolor: adhuc à dicta sanguinis detractio non  
debes desistere, ne præ magnitudine inflammationis pars incidat in gangrænam: sed  
si non discuti, saltem à natura suppurari queat. Nec obstat primo, quòd initio inflā-  
mationū conueniāt reuulsiones, quas per sanguinis missiones multiplicatas præci-  
pit facere Gal. lib. de sanguinis missione: non ergo tunc conuenit ad animi deliquiū  
ducere. Secundo, quòd ad sanguinis mutationem educere insit. 2. acut. non autē ad  
animi deliquium. Tertio, quia. 1. lib. ad Glauc. cap. 12. ita scribit Galenus. Ita etiã  
si vehementissime vigilie aut dolor intensus, egrotum infestant: cauendæ sunt su-  
bitæ, ac multæ euacuationes. Non obstat (inquam) nam ingens dolor non permittit  
solis reuulsionibus insistere, sed celerrimam, tum reuulsionem, tum euacuationē pos-  
cit: ita vt cū maximus est, aut instat maximè, ad animi vsq; deliquiū conueniat. Ad  
secundum verò dicendum, quòd in morbo, atq; dolore magno, terminus vacuationis  
ab Hippocrate positus, est sanguinis profluentis in colore mutatio: in maximo verò  
vltius ad animi vsq; deliquium progredi oportet. Ad tertium verò, diximus su-  
pra locum Galeni de arte curatiua ad Glaucōnem, intelligendum esse, vbi non spe-  
ramus

ramus per sanguinis missionem dolorem esse leuandum. Hic verò de maximis do-  
loribus, à sanguine calidissimo in partem aliquam celerrimè irruente ortis agi-  
mus: in quibus per sanguinis missionem detrahatur, tam dolor, quã ipsius dolo-  
ris causa.

Iam verò hic Auerrhoum audiamus septimo colliget, capite octauo: & octauo  
collectanei, capite decimo septimo, Galeno contradicentem. Primo, quoniam natu-  
ra (inquit) nunquam vacuat, vsq; ad animi deliquium, aut exolutionem: ergo nec me-  
dicus sui imitatione id faciet. Secundo, quia non oportet vacuare nisi noxium: no-  
xij autem vacuatio non causat deliquium. Tertio, nam animi deliquium, ob solam  
refrigerationem expetitur: hæc autem si calore præternaturam corrupto fiat utilis  
est: si spiritu & naturali calore vacuato, & euanescente, omnino noxia. Quæ autem  
sequitur animi defectum refrigeratio, ex absentia natiui caloris, & nō eius qui præ-  
ternaturam est contingit: non ergo est expetenda. Quarto, nam notæ quæ febrem  
continentem citra putredinē exortam indicāt, inconstantes sunt, & parū certæ: nul-  
lāq; securitas est quòd aut in sanguine, aut alio quouis succo, putredo aliqua subit:  
quã euincere haudquaquam poterit virtus, tanta euacuatione facta imbecillima.  
Adde, quòd si euacuationi succedit deliquium, non bene fertur vacuatio (quomodo  
enim stabunt animi defectus, & tolerantia?) sine tolerantia autem reprobatur om-  
nis vacuatio, primo libro Aphorismorum, sententia secunda ab Hippocrate. Ad-  
hæc cur tã utilis sit hæc refrigeratio, quæ animi defectum sequitur, non video: nam  
vniuersus habitus corporis ob id in deliquio refrigeratur, quòd cor tum temporis re-  
trahit ad se spiritus: quare ipsum magis incalascet oportet ex ipsorū accessu, quã  
membra cætera frigeant ex recessu. Cum ergo febris, cordis præcipuè sit passio, &  
reliquorum membrorum deinceps: subsequens est vt magis ob animi deliquium  
accendatur febris quã extinguatur.

Sed hæc ita soluuntur. Primum sanè, quòd medicus plura sepe facit, quæ natu-  
ra ne tentat facere. Luxatorum ossium repositionem, & fractorum coaptatio-  
nem, non facit natura, facit tamen medicus. Hydropicorum, calculosorum, &  
crepatorum apertionem, natura non facit: felici tamen successu, interdum eam ope-  
ratur ars. Sic ergo & ad exolutionem ducere posset. At hic minus immorari ope-  
ret, nam multas euacuationes easq; laudabiles, à natura, non modo ad animi defectū,  
verum & ad syncopim factas vidimus. Secundum verò est facile, nam semper cum  
noxio, vacuatur vtile commissum, cuius gratia succedit deliquium. De tertio dicē-  
dum, quòd euacuatō vsq; ad animi deliquiū, refrigerat nos. Primo, quoniã calidos  
humores abducit: quod sanè cōmune est, siue paulatim, siue affatim ducātur. Secūdo,  
quoniã frigidus aër loco sanguinis subintrat venas: quod vacuatōi affatim factæ est  
peculiare: si enim paulatim fiat, paulatim quoq; venæ cōcidūt, sine externi aëris ad-  
missiōe. Tertio, quia cor affatim retrahit spiritus ad se ex vniuerso corpore, ppter  
ipsorū defectū in corde. Ex qua retractione tres sequuntur utilitates ipsi egrotanti.



Prima, quod cor recipit spiritus quibus indigebat, & eis utitur (ut familiari instrum<sup>to</sup> mento) ad regenerationē spirituum de nouo. Secūda, quod vniuersa corporis membra aestuātia, per spirituum absentiam refrigerantur: est enim spiritus nō modo natiui caloris, verū etiā eius qui praternaturā, à corde in mēbra vehiculū. Tertia, quod flammis spirituum calor ex febre cōtractus, in ea subita motione vehemētius vētillatus, refrigeratur: magnus enim motus flammā extinguit, sicut paruus accēdit cōtabescētē: De quarto dicendum, quod etiam si post vacuationē ad animi deliquiū, putredo aliqua in succis relinquatur, non ob id succumbet facultas: integra enim manet virtutis radix, & origo (ipsius scilicet cordis substantia) quæ spiritus denuo creare poterit. Nec tam graue malum est animi deliquium ex euacuatione, virtuti robustæ: ut non possit facile reparari. De quinto, animi defectus, & tolerantia, simul cohabitare possunt, Hippocrate autore. i. Aphorism. sentent. 23. Primo, quia animi deliquium ex euacuatione, in robusto bene toleratur, id est facile reparatur. Quod voluit Auicenna. ii. 3. tract. 2. cap. 6. Vbi ita scribit. Et quando accidit syncopis ab euacuatione humorum, virtute vitali adhuc forti, non est adhuc timendum: & illa est sicut syncopis quæ accidit post phlebotomiam. Secundo, nam animi deliquium magis est passio virtutis animalis, quā vitalis (ut diximus) tolerantia verò magis atēditur in virtute vitali. Vnde pulsuum permutationi interim ac sanguis effluit, iussit Gal. nos debere esse attentos, lib. de sang. miss. cap. 14. Tertio, nam si nihil vtilius, aut iucundius, refrigeratione quæ ex animi defectu fit, ægris contingere potest, ut nono libro Methodi, Galenus est autor: quæ maior tolerantia queritur? De ultimo dicendum, quod cor ex accessu spirituum ad se, in animi defectu dicto, non valde incalescit. Primo, quoniam cor erat exhaustum ab spiritibus, ob id enim ad se reuocat eos qui per corpus circumaguntur, quoniam in eo deficiunt. Secundo, quoniam (ut dixi) flammeus spirituum calor, extinguitur, ex concitatissimo motu verberatus. Tertio, quoniam parum in corde morantur (donec scilicet alij in corde generentur, quod ex appositissima & tenuissima materia citissime fit) rursumque in membra corporis regurgitant, vbi sudores, aut madores mouere solent. Cum verò euacuationem ad animi deliquium præfixit Galenus, eam intellexit quæ solius euacuationis ratione euenit. Neque enim tales dicit animi defectus, qui & expauescentibus aliquando ægris venæ sectionem, vel tale auxilium aliquod solet accidere: neque cum in ore ventriculi humores mordaces aliquando fuerint, vel prius in ipso coaceruati, vel qui in ipso remedij vsu ad ipsum defluerint, qui causam dederint animæ defectionis. Solent enim & hoc tempore pati animi defectionem: non tamen huiusmodi animi defectio, est sufficiens mensura euacuationis, quæ non nunquam citra necessitatem contingit, sicuti febricitantes plerique, vel inter surgendum, vel residendum, animo defecerunt: ob quam causam accumbentibus ipsis secamus venam, ut primo libro Aphorismorum, commentario vigesimotertio, scribit Galenus.

Quantā

Quantam ad sanguinis suppressionem vim habeat, eius dum effluit mutatio. Et in quibus morbis sit expectanda. Et an sanguis qui venas fuit egressus, possit rursum in venas remigrare.

CAP. XXVI.



VI iustam sanguinis detrahendi quantitatem rimari voluerit, sanguinis etiam fluētis permutationē non prætermittat oportet. Fit enim interdum ut sibi similis semper effluat, vbi scilicet nulla corporis pars afficitur: tunc enim humores vndique per vniuersa vasa similem conditionem seruant, & qualis vena secta cepit fluere, talis toto effluxionis tempore perseverat. Quauis enim partes nostri corporis, ex differentia temperamenti dissimilem habeant sanguinem, & iuxta cor calidior & coloratior sit: ea tamen non est momentanea differentia, nec in sanguinis detractione rectè à medico deprehendi potest. Quando verò pars aliqua interna afficitur, iecur, lien, pulmo, pleura, cerebrum, aut ex intimis alia, vltimus sanguis qui vacuatur corruptior est, & intensiori colore præditus, quoniam pars inflammata, quæ tunc exhauritur adusit, corrumpit & commoda spirationis defectu putrefecit quidquid sanguinis ad eam affluerat. Prior verò sanguis purior est, quoniā ex venis externis educitur: quæ prius quā interne in sanguinis missione vacuantur. Primo, quoniam vena quæ secatur extima est, & maiorem cum extimis suis comparibus societatem habet. Secundo, quoniam viscera cum sint validiora, difficilior sanguinem concedunt, quā externa imbecilliora. Hinc incolumiores morbos (maiori ex parte) videmus eos, in quibus prior sanguis est corruptior: quoniam aut externa magis quā interne partes in ipsis laborant, aut innatus calor intus vicens pellit ad exteriora pudredinem, quæ postea vena secta prius vacuatur.

Sed dubium est, quomodo sanguis in inflammatione impactus, & ad meatus carnis ex minimis venis transmissus, iterum in venas possit remigrare? præsertim quod qui venas egreditur, statim concrescit: concretus autem, remigrare nequibit. Dicendum, quod sanguis vbi extra corpus effunditur, statim concrescit, omni eius spiritu, & natiuo calore expirascēte. In corpore verò tardius gelatur, quoniam natiuus calor, & spiritus volitantes (qui in omni corporis parte, & etiam in recrementis abundant) sanguinem fusum diutius continent. In meatibus verò carnis, tardius adhuc quā in amplis cōceptaculis, & cavitatibus corporis gelatur: tū quoniā calidi innati vis, ibi magis seruat: tū etiā quoniam cōtinuus est huiusmodi sanguis cū sanguine exiguarū venarū, à quo cepit decedere: venule enim illæ plurius sanguine distentæ, oscula reserant, & partem sanguinis effundunt, cum altera parte effundenda continuam. Vtque in aneurismate sanguis qui extra arteriam est,

Li 2 non

non concrefcit, quoniam continuus est reliquo sanguini arteriali, qui illuc semper impetit: ita nec qui venulas aggressus est necessario gellatur, donec portio altera sanguinis influere desinat, & cōtinuitas externi, cū interiori sanguine in exiguis venis cōtento intercipiatur. Sic in pleuritide, aut alia quapiam inflāmatione incipiente, contingit interdum vt ex largissima sanguinis per venam sectam detractioe, omnis prorsus tumor dematur: sanguine scilicet omni vacuato, tum eo qui in venis maximis abundabat, & minimas venas partis inflāmatae distendebat: tum etiam eo qui ad vacua partis spatia exudauerat. Sic etiam variolae, atque morbilli (vt frequenti constat experimento) ex frigidi aëris percussu retrocedunt ad vasa, & caecos, prauasq; febres inferunt. Sic inflāmatio caui iecoris, secta vena exhauritur, per meatus quosdam exiguos: nam cauae iecoris venulae, non copulantur cum venis partis gibbae. Sic pleuritis interdum mutatur in pulmoniam, & pulmonia in anginam, humore ex parte primo inflāmata in vasa remigrante, & ex vasis rursus, in partem quae deinceps inflāmatur transmissa. Sic in lue Gallica, argenti vini vi, pustulae, tumores, & nodi externi illi tenuantur, & per meatus carnis, atq; vasa, ad os expuenda mandantur. Vbi tamen vena copiosius secatur, facilius fit sanguinis ex inflāmata parte remigratio. Primo, quoniam trahitur à parte, quae eum sanguinem transmiserat, & per easdem vias per quas exierat. Secundo, quoniam pellitur ab ipsa parte, in quam impegerat, id iam permittētibus vasis praevacuatis. Ob idq; non modò incipientium inflāmationum sanguis (qui nōdum concreuit, nec insigniter mutatus est) sed etiam qui diutius traxit, & valde in inflāmatione putruit, ad venas remigrat, & per venam sectam, quae è directo est vacuatur.

Sed dubium est: Nā si inflāmatio gignitur partibus validioribus semper transmittentibus in eas quae minus valent, nunquam erit possibilis dicta remigratio, nisi quod validius est, ab imbecilliori vinci queat: quod videtur impossibile. Cui dicendum, quòd imbecillior pars se sola nunquam sufficiet humorem transmittere, in validiorem: nisi aut pars validior non reluctetur imbecilliori, aut imbecillior adiuuetur in expellendo. Imbecillior verò iuuatur in expellendo, à medicamento, aut ab aëre externo repellentibus. Pars verò valida non reluctatur, vbi corpus admodum inanitur: quoniam tunc venae maiores repetūt ex minimis, & etiam ex ipsis carnibus, in quas humores prius transmiserant. Quae duo conceptis verbis, significauit Gal. lib. artis medicae, cap. 95. Vbi ita scribit: Sed & exinanita loca, attrahunt ad se ipsa quaecumq; repercutiuntur. Hoc siquidem ostēsum est in eo volumine, in quo de potentijs naturalibus agitur: Et vasa praeterea vigore ex medicaminibus adstringentibus addito, à se ad alia remittent. Sed cur magis per adstringentia adhibita, expultricem quàm retētricem dixit roborari: si vbi excretionem sistere volumus, adstringentiū vim augemus? Dicendū, quòd tā expultrix, quàm retētrix vis, adstringētibus roborari potest: sequetur autem aut excretio, aut retentio, varijs ex causis. Primo, ex mensura adstringentium: minori enim adstrictione & siccitate, opus est

est ad expulsionem (quatenus scilicet opus est ipsi firmitate instrumenti, tum vt pelat, tum ne facillè admittat quod sibi influit) quàm ad retentionem, in qua omnes viae debent claudi, & constipari. Secundo, ex parte cui admouetur adstringentia: si enim toti mēbro applicantur, & omnē eius partem aequaliter peruadūt, retentio sequitur: si verò partē tantū extimā, expulsio: quoniam ad intimam cōpellūtur humores ab extimis. Tertio, ex dispositione partis cui adstringētia admouetur: plurimū enim refert plena ne sit & distēta, an inanita & flaccida. Cū enim parti plenae (qualis inflāmata est) admouetur adstringentia, intus cōpellitur ire multitudo, & excretio sequitur: cū verò inanita, partis ipsius substantia vndiq; adstringitur, & retentrix eius facultas roboratur in actione. Sanguinis autē permutationē, in internis solū inflāmationibus spectare iussit Hip. 2. de victu acutorum, com. 11. & Gal. lib. de sang. miss. cap. 14. Et Rasius expressius. 7. lib. ad Almanforē, cap. 21. Nam in inflāmationibus externis, quae minus periculose sunt, nō oportet tā larga sanguinis detractioe, virium detrimentū facere. Qui verò sine inflāmatione fatigant morbi, sanguinis permutationē momentaneam nō habent: in febre enim continente vniuersis est sanguis, siue putreat, siue nō: in tertiana verò, qui in iecore est, paulò est biliosior: sicut in quartana, qui in liene habetur, paulo magis est melancholicus: & in quotidiana qui est in ventriculo, pituitosior quodammodo existit. Per has etenim febres huiusmodi mēbra magis pati, constat ex Gal. 1. ad Glau. cap. 4. Non est tamen huiusmodi humorū differētia momentanea: nec à medico dū sanguis educitur ita aduertit potest, vt illa in qua humores in inflāmatione adurantur: multò enim diuersus est is qui iuxta inflāmationem haeret sanguis, ab eo qui in reliquis mēbris reperitur, vtpote plus calfaetus. Si enim antea crudior erat, rubicundior & flauior fit: si in eiusmodi prius erat adustus, in nigrum conuertitur: libro de sanguinis missione, cap. 14. autore Galeno.

An verò statim ac incipit vitiatu sanguis extrahi, sit cohibendus: dubium est. Contrariū enim videntur sentire medicae artis autores. Haliab. lib. 6. cap. de cura pleuresis, & lib. 9. cap. de phlebotomia. Ob id (inquit) detrahatur sanguis, ad permutationem coloris, vt extrahatur totus sanguis putridus corruptus, in apostemate contentus. Et Auic. 10. 3. tract. 5. cap. 2. dixit, quòd mutatio sanguinis in colore significat, quòd nocibilior sanguis iam est euacuatus. Et ratio videtur fauere: Nam continens causa inflāmationis, est humor in ea contentus: ex eius ergo detractioe illico sequetur salus: quare non est sistenda vacuatio, donec penitus extrahatur. Et itē quia dum vacuatur corruptū, vacuatur tale quale vacuari oportet: conferet igitur, ac facillè tolerabitur eius vacuatio, iuxta traditū ab Hippocrate axioma 1. Apho. sent. 3. vt quid ergo sistetur? Hinc Thadæus duplicē sanguinis mutationē spectat: primā in deterius, in qua sanguis in inflāmatione contentus incipit vacuari: & tādū eius vacuationem prosequitur, donec rursus in melius transmuetetur, prauo vniuersim vacuato. Sed haec mihi non arridet sententia. Primo, quoniam tā Hippocrates quàm Galenus simplicis tantū permutationis in deterius meminerūt. Secūdo, quoniam

Vniuersus sanguis prauis inflammatione efficiens, vnica sanguinis detractio, vacuari nequit, vt experimēto constat. Rarus est enim qui ex morbo laterali, vnica sanguinis detractio statim liberatus visatur. Quare dicendum, quod apparente improbo sanguine, etiam si prorsus is non vacuetur, cohibenda est vacuatio. Primo, quoniam argumentum est, sanguinem eum à parte inflammata recessisse. Secundo, quoniam prauus is sanguis, qui ab inflammatione in alias venas recessit, ob commodi sanguinis commistionem, & commodam euentationem, emendari potest, & naturæ beneficio in pristinam naturam restitui. Tertio, quia si vnica eaq; largissima vacuatio morbum extirpare conemur, non dabitur locus iterationi: quæ maximè in omni morbo conducit, lib. de sanguinis missione, cap. 16. autore Gal. in hæc verba. Conari verò in omnibus malis præstat, vt post mediocrem sanguinis missionem factam, iterato sanguis auferatur: interim quidem eodem die, quando sic facere expedit, interim postridie: nisi vbi antea dictum est, ad animi vsque defectionem vacuare conetur. Quarto, quia in inflammatione, atque omni affectu in quo aliquid è venis extra effluxit, repetita sanguinis detractio est opus: vt intermedio tempore, venæ inaniæ quod extra effluxerat recipiant, & secunda venæ sectione vacuetur: vt Galenus est autor quarto libro de Sanitate tuenda, capite vltimo, de lassitudine phlegmonosa agens, in hæc verba. Quoniã igitur in hac quæ veluti phlegmone fatigat lassitudine, vis calidi sanguinis congesta in corporis mole est, venæ autem sectio succos è vasis emittit: vtile est post priorem detractioem tantisper intermittere, dum aliquid eorum qui in corpore sunt humores, remigret ad venas. Quod tamen quoniam comitendum non est vt in his maneat (vt potè ex dimidio corruptum) sed potius plurimum eius expellatur: idcirco detractioem sanguinis etiam secundo die iteramus: aliquando verò & in tertio, vbi videlicet & reuellere, & ex alijs in alia transferre visum est conducere. Si ergo dum sanguis prauus capit vacuari, vacuationem cohibet Galenus, iterationi consulens effecit: vt scilicet per secundam sanguinis missionem, tum is qui in præsens cohibetur, tum qui ex carnibus in vasa postea remigrat, prorsus vacuetur. Si verò vnica sanguinis missione hæc omnia facere coneris, virtutem labefactabis, & laborabis frustra. Remigratio enim humoris in venas, ampliori tempore indiget. Virtus verò imbecillior reddita, iteratam sanguinis detractioem non feret. Quare quod ex carnibus in venas remigravit, aut ibi pessimè putrebit, aut à natura (quod sæpe contingit) in pulmones permutabitur. Quod aduertens Aëtius in curatione pleuritidis, monet ne copiosius quàm par sit sanguinem detrahimus: quoniam interdum ob multam naturæ debilitatem, pro morbo laterali pulmonia succedit. Quod maximè aduertant humanæ salutis studiosi, ne pro pleuritide pulmoniam gignant.

Simplicem ergo sanguinis in deterius permutationem expectare debemus: idque non in omnibus morbis, sed in internis tantum inflammationibus, in quibus sanguis contentus deurit. Neque in his omnibus semper hanc permutationem expectare

expectare oportet, libro de sanguinis missione cap. 14. autore Galeno. Duabus enim de causis contingit, vt antequam hæc fiat cessandum sit: cum scilicet imbecilla est virtus, aut inflammatio maligna, in qua vehementer sanguis coercetur, impingitur, & minimè fluxilis est. Virtus namq; inualida, non sustinet largam detractioem: & inflammatio maligna, non concedit exitum sanguini in ipsa coercito: interdum enim nihil ab ea emittitur, sed inibi fortiter constrictus est. Quo fit vt per venam sectam, inculpatus reliquorum membrorum sanguis tunc vacuetur: qui verò in maligna inflammatione consistit, relinquatur hominè crucians. Hinc pessimū signum habemus cuiusq; inflammationis internæ: si vniuersus sanguis qui educitur culpa vacat. Et frequenti confirmatur experimento, in catocho epidemico (Modorra appellato) in quo si sanguis qui extrahitur bonus est, periculosius habet ægrotates, malè speramus de morbo, & magis abstinemus à phlebotomia. In maligna quoq; pleuritide & cuiusq; etiam partis inflammatione rebelli, quæ humoris contenti nihil remittit: sed sanguis qui per venæ sectionem vacuatur bonus est, & dolorem eius vacuatio non leuat: à sanguinis missione abstinemus, & anodinis seu sedantibus dolorem sumus contenti, donec humor reddatur fluxilis, & vacuari aptus. Quod sanè Aui-cennam intellexisse credo. 4. 1. cap. 1. dicens. Cum ad diuersum trahere volueris, dolorem membri à quo trahis prius seda. Id quod fortè voluit Hippoc. 6. Epidem. par. 2. com. 8. vbi cedentem humorem reuellit, repugnanti verò & valde impacto, docet obsecundare.

### Quæ satis sanguinis esse detractum ostendunt. CAP. XXVII.



**V**AE sint ea quæ quantitatem sanguinis detrahendi indicant; capite vigesimo tertio huius tractationis sumus prosequuti. Quæ verò sanguine ipso fluente satis iam esse detractum monstrant, docuit Galenus libro de sanguinis missione, capite decimo quarto. Quando enim (inquit) incisa vena sanguis effluit, mutationi eius, & labascenti effluxionis robori; potissimum verò mutationi pulsuum, tanquam inditio nequaquam mendaci, animum attendere oportet. De mutatione sanguinis, quantam vim habeat in cohibendo sanguine: & in iteranda sanguinis missione: & in quibus morbis sit expectanda: diximus nuper. Pulsuum verò præceptio mutatio, siue ad paruitatem, aut imbecillitatem, aut quamuis inæqualitatem, confestim quiescere poscit. Præceptio (inquã) pulsus mutatio, quæ scilicet ex ipsa vacuatione repere nascitur, intelligenda hic est: nã ante vacuationem, pulsus inæqualis plenitudinè ad vires ostedit; & vacuari postulat. Præceptio autè mutatio, quæ simultaneã vacuationem sequitur: satis detractum sanguinis esse ostendit. Sicut si pulsus, ex euacuatione fiat validior, maior, & inæqualitatem



amittat, plus vacuari amat, ut plenius exoneretur facultas, quæ inutili sarcina præmebatur. Labascēs verò effluxionis robur (si nimirum impetus quo antea prodibat, & eiaculabatur flaccescit, idq; nō ex metu, aut grumo sanguinis circa vulnus concrecente) significat vasorum detumescētiā, vires imminutas, atq; satis sanguinis iam esse detractum. Quare ipsum tunc cohibere oportet, ne dum superfluum vacuare studemus, præ nimia vacuatione ingulemus ægrum.

### ☞ Venæ secandæ delectus, a quibus indicetur.

#### CAP. XXVIII.



**P**urimum referre, hanc aut illam venam, in singulis morbis secare, docuerunt antiqui, & omnes vnanimi consensu receperunt in hunc vsq; diem medici, experimentis, & naturæ iudicijs innixi. Hæc diutius observantes, Methodos inuenerunt, quibus nūc hanc, nunc illam venam, tundere conueniat magis. Quæ sanè sparsim, sine ordine, & contensiosè admodum, sunt ab autoribus traditæ, fortè aliud quàm veritatem captantibus. Nos verò quibus solus veritatis tenet amor, ea hic in studiosorum gratiam cudi tantum curauimus, quæ mortalium generi aliquid esse profutura censuimus. Hinc ergo exordium sumentes dicimus, quòd venæ secandæ delectus, sumitur ex affectæ partis situ: ex plenitudine vasorum, aut paucitate materiæ in ipsis abundantis: ex morbi vehementia, ac symptomaticis grauitate: ex morbi etate: ex fluxionis origine: ex specie, & consistentia humoris in corpore congesti: adhæc ex virtute: & ultimo ex habitu corporis.

Ex situ partis affectæ, sumitur præcipua indicatio, venæ quæ debet secari. Si enim vniuersum corpus afficiatur, aut affici timeatur, vnaqualibet citra delectum incisa vena est idonea: ut scribit Galenus libro de sanguinis missione, cap. 19. Quo tamen statu, turgidiorem incidimus cum Rasio: aut internam dextri brachij, cum Hipp. 4. acutorum, sent. 24. Ad turgidiorem enim videtur impetum facere natura: interna verò velocissimè, & plurimum, fontem & originem humorum exhaurit. Quòd si prima sectio non satis sanguinis detraxit, ex altero brachio iteramus, donec pro ratione plenitudinis vacuasse cōreecerimus: atq; alternis vicibus (si opus est) iterum atq; iterum, ex vno atq; altero brachio, sanguinem mittimus. Quòd sanè conuenientius est, quàm vnum latus ferire pluries, tum ob dolorem brachij secti (ne inflammationē ea in parte, ob multiplicē sectionem cōtrahat) tum ne natura in vnum magis quàm in alterū latus, ob frequentē vnius innanitionē mittere assuescat: tum etiam quoniam cum nulla pars est affecta, neutrius lateris fit delectus: ob idq; præstat vtrumq; latus vacuasse. Quòd sanè Galenū seruasse constat, libro de sanguinis missione, cap. 18. Vbi menses mouere docens, alternatim ex vno atq; altero crure, sanguinem elicit. Si verò in partem aliquam irruit humor: aut is per eam partem vacuatur:

vacuatur: aut in parte ipsa cōreccetur, vel tumorem præternaturam, vel solam partem plenitudinem, tensionem, aut grauitatem efficiens: aut fortè nondum impetum fecit humor in partem, sed solita est natura quotānis (verbigratiā) eam partem impetere. Si humor vacuatur per partē ipsā, ut in sanguinis fluxu è naribus, ore, vtero, aluo, aut hæmorrhoidibus, ex distantissima parte vtilius vacuamus, sola prouidentia vtentes, ad compefcendam hæmorrhagiam. Si menses nimis profluant, ex cubito auertimus, libro de sanguinis missione, cap. 11. Hæmorrhoidū par est ratio. Cū per aluum in dysenterijs vacuatur sanguis, nō modo brachium tūdimus, verum & in ipso, cephalicam probamus magis ceu vtiliorem: quoniam magis reuellit ob distātiā, & insensibiliter atq; furtim quodammodo sanguinē aufert, cuius ratione nec venter perturbatur, nec adeo vires labefactātur: ut autor est Aëtius lib. 9. cap. 45. Cū sanguis è naribus, aut ore fluit immodicè, venam brachij qui è directo est, secat Gal. lib. de sang. miss. cap. 11. Iuuat ipsos nihil minus etiā, ex imis corporis partibus sanguinis detractio, autore Thraliano lib. 7. cap. 1. vbi ita scribit. Noui autē ego me cum venæ cubiti in conspectum non venissent, etiam ex venis in talo sectis sanguinem demisisse, & multo magis profecisse. Nam materiæ ad longinquoiores partes prouocatio, firmiorem multò reuulsionem efficit. Quinto libro Methodi Galenus, in sanguinis è naribus profusione, duplex (inquit) est auersio, & quæ est ad totius corporis inferna, & quæ est ad capitis posteriora. Propterea videlicet quòd ipsæ nares, & in superiore, & in anteriore parte, sunt sitæ. Aduersantur autē ei quòd supra est, id quòd infra: & ei quòd post habetur, id quòd ante. Galenus autem per id quòd infra, brachium intellexit, non talum: nullibi enim de sanguinis è naribus profluuiō agens, talum secasse legimus: sed brachium è directo situm. Libro namq; de sanguinis missione, cap. 11. ita scribit. Ceterum non contemnuenda venæ sectio est, tanquam sit auxilium reuulsorium, cum me sæpenumero conspexeritis in valida sanguinis è naribus eruptione eo vsum, repente fluxionem sedasse. Expedit autem (vbi vidistis) non eò vsq; sanguinem educere, dum ad extremum vires ducantur: sed quoad quòd symmetrum, moderatumq; sit, eductum videatur, prorumpentisq; sanguinis impetus nōdum flaccescat, sed validus permaneat. Secare in cubito venam, si ex dextra nare prorumpat sanguis, in brachio dextro: si ex altera in sinistro. Libro verò. 1. Prorrhet. par. 3. com. 52. non modo brachium è directo situm, sed in eo cephalicam magis probat, in hæc verba. Quòd autem manum recto tramite nari, vnde sanguis abundè fluit respondentem secare, manusq; eiusdem humeralem venam ferire oporteat, liquido constat omnibus: si verò ex nare vtrāq; fluxerit sanguis, secare vtrāq; nihil prohibebit: non enim per eas vacuationis, sed reuulsionis gratia sectionem facimus. Sex ergo sunt loci, vnde sanguinis è naribus fluorem compefcere possimus: ex talo, ex brachio opposito, ex basilica eiusdem brachij, ex humeraria eiusdem brachij, ex vena omoplata, & ex parte capitis posteriore. In magna totius corporis plenitudine, à pede est incipiendum spreta cōmunitate: si menses, aut hæmorrhoides, aut

Ulcus aliquod infra iecur manare solitum, supprimantur: ex experimēto Tralliant.  
 Aliter à brachio opposito, rectitudine spreta: cum scilicet intellexerimus fluxionis  
 originem, aut ab altero latere esse, aut à toto: Quod obseruat Mesue. In minori plen-  
 itudine ab eiusdem lateris interna detrahemus: quæ originem, iecur nempe, aut lie-  
 nem exhaurit: in quibus vel sola cucurbitula adhibita, uariis quæ è directo est fluore  
 compescere solet. Cum uero aut minor plenitudo, aut sanguinis mediocris mensura  
 adest, minor sufficit reuulsio: & humerariam è directo sitam, ob id secamus. Quod  
 etiam faciendum esse monemus, ubi impetuosissimus est fluor, in quo etiam si ingens  
 ad sit plenitudo, cephalicam eiusdem lateris, aut uenam in omoplata sitam, ad syncop-  
 pin usq; secamus, ex cōsilio Auic. 5. 3. tract. 1. cap. 9. de prauo & impetuoso nariū  
 fluore, aut propter nimium sanguinis feruorem, aut propter eius ab arterijs capitis  
 eruptionem contingente agentis, in hæc uerba. Et quandoq; oportet ut extrahā-  
 tur sanguis per phlebotomiam usq; ad syncopin ex cephalica, & ex uena spatule  
 quæ est posterius: quoniam est magis ultima, quia prohibet sanguinem eleuari ad ca-  
 put. Ipsa namq; cum ad syncopin perducit, sedat statim: & illud in fluxu sanguinis  
 narium, uehementis uelocitatis, & c. Quibus uerbis uoluit, quòd in fluxu impe-  
 tuosissimo (in quo uerisimile non est fluxionem in distantissima uocari posse, nisi  
 interim cadat uirtus) proximus locus sit usq; ad syncopin aperiendus. Per eam enim  
 largam sanguinis detractionem, tum totius corporis plenitudinem, tum etiam pleni-  
 tudinem capitis particularem adimimus: & insuper feruorem sanguinis & spiri-  
 tum (per syncopin refrigerato corporis habitu) extinguimus, & ab arterijs in cor  
 adducimus. Quæ cōmoda, ex paulatina aliqua uacuatione nūquā assequemur: prius  
 enim uirtus cadet, ita ut syncopin moliri non possimus. De qua fortè impetuosa u-  
 acuatione loquutus est Gal. 1. Prorrhæctici citato, ut ex aduerbio *αἰετός* id est abun-  
 dè, furiosè, aut impetuosè colligere est. In plenitudine autem capitis particulari, &  
 cum causa trahens sanguinem è corpore, in capite est (calor nempe aut dolor, cum re-  
 liqui corporis incolumitate) ex parte capitis posteriore detrahere cōuenit. Vbi si in-  
 signis aliqua uena quæ faciliè secari possit nō reperiatur, cucurbitulis scarificatis, ea  
 parte uti possumus, iuxta Gal. consiliū. 5. Aph. com. 68. ubi diurnas oculorū flu-  
 xiones, sepe sanatas esse perhibet, ex partibus secundū occiput sanguine misso, unā  
 cū cucurbitule usu. Venā tamen omoplatae posterius sitam, eiusq; sectionem, ultimi  
 interdum esse iuuamenti, ex Auicēna retulimus. de qua ipse meminerat. 1. 1. doct. 5.  
 cap. 3. in hæc uerba. Vna uero harum uenarum super spatulam extenditur, &  
 ipsa est quæ uocatur spatularis, ex qua est cephalica, & due ad isius spatularis la-  
 tera, ipsam usq; ad caput spatule simul comitantes. Si uero humor per partem nō  
 uacuetur, sed solita sit natura humorem quotannis, aut quouis altero temporis cer-  
 to interuallo, ad eam partem humorem transmittere: dum morbus imminet, antequā  
 natura solitum humorem transmittat, distantissima & maximè contraria uena tū-  
 di debet. Nā solā reuulsione tunc præcauere & occurrere est opus: quod sanè. 2.  
 lib. de

lib. de natura humana, sent. 9. in hæc uerba monuit Hipp. Dada est opera ut quā  
 longissimè à locis ubi dolor est, & sanguis cogi didicit, uenarum incisiones fiat. Sic  
 enim haud magna repente commutatio fiet, & consuetudinē mutaueris, ne amplius  
 eo loci sanguis coeat. Sic libro de sanguinis missione, cap. 19. Galenus, comitali mor-  
 bo, & vertigini obnoxios, ex cruribus uerno tēpore phlebotomat, podagricos ue-  
 rò ex manibus. Nec obstat Galeni eo loci uerba, quæ ita habent. In quibus autem  
 corporibus nulla dum particula affecta est, ceterum uacuationem uere ineunte an-  
 teuertimus: in ijs, siquidem talis sit homo, qui quotannis æstiuo tempore febrilibus  
 morbis obnoxius esse assolet, atq; in eo exundantiā euacuare studemus, æque pars  
 quæ uis in sanguinis detractionem accommoda est: sicut sanè etiam si arthriticus sit,  
 omnibus articulis laborans. Quibus autem eximie pars quæpiam (ubi prius euacua-  
 ti non fuerint) infestetur: haud æque liceat ex quauis parte euacuationem moliri, ue-  
 rum sicut in ijs qui pati iam occipiunt. Quibus uerbis, easdem uenas in principio  
 secandas esse, ita in præseruatione, quā in curatione morborū, intelligit argēterius. 3.  
 lib. artis medicæ. Quoniam (inquit) in utroq; casu præcauere uolumus: in uno quidē  
 ne morbus gigni incipiat, in alio uero ne amplius augeatur qui incēpit. Contra uero  
 statuendum est. Primo, quoniam ubi morbus nondum incēpit, distantissimus locus  
 queritur: ut natura dissiuescat longissimè à locis ubi mittere assueuit. Secundo, quo-  
 niam morbus qui cēpit in parte, fluxum humorem habet, & fluentem, & fluere pa-  
 ratum: parato fluere, conuenit locus distantissimus: fluxo, proximus: fluenti, medius:  
 per quē fiat fluxi uacuatō, & fluētis retractiō. Cum ergo in morbo fieri parato, qui  
 nondum incēpit, nec adsit humor fluxus, nec fluens, sed solum paratus fluere: locus  
 tantum distantissimus sibi erit ex usu. Tertio, quoniam vertigini, & epilepsie ob-  
 noxios, ibi uacuat ex pede Galenus: correptos uero ijs morbis non secaret nisi ex cu-  
 bito, aliter enim communitatem uiolaret. Intelligatur ergo Galeni allata sententia,  
 quòd sicut in ijs qui pati iam occipiunt, plurimum refert hanc aut illam uenam seca-  
 re: ita etiam cum pars aliqua solita est pati, plurimum referre est existimandum. Nō  
 tamen ob id utrobique eadem uena est secanda: sed ubi solita est pati distantissima, &  
 ubi laborare cēpit, minus distans est cæden. la. Nec obstat, quòd incipientibus inflā-  
 mationibus, distantissimum locum sepe sepius eligat Galenus: intelligendus etenim  
 est locus distatissimus nō simpliciter, sed ex his locis quæ seruat cū parte affecta re-  
 ctitudinē & cōmunitatē. Tā cōmunitas autē, quā rectitudo, in morbo fieri in parte  
 solito, antequā is morbus fiat, recta ratione uolantur: tum ut assuetudo in id latus  
 mittendi, contraria consuetudinē pellatur: tum etiam quia contrarium latus, &  
 uena quæ societate cum parte affecta caret, per uenæ sectionem exinanita, trahit  
 uolentius à toto. Hinc. 6. lib. Epid. par. 2. com. 9. humores concitatos (qui fluere  
 parati sunt, & iam fluere incipiunt) ad distantissimum reuellit communitate spreta:  
 & eos qui communitatem tunc uiolare nolunt, reprehendit in hæc uerba Galenus.  
 Postquam enim dixit, sursum elata, deorsum soluere, & contraria itidem elata  
 quidem,

quidem, idem quod concitata significare putandum est. Ut de primo affectus exortu, ipsi sermo sit iubenti ad contrarios locos statim retrahere, deorsum quidem, in his, quæ superius ortum habent, sursum verò in his quæ inferius: ut eadem regula utentes opem feramus, & ad differentes locos abducamus. Igitur si in pedes & crura fluxionem decumbere senserimus, ex cubiti venis sanguinem mittemus, aut vomitu purgabimus: non ut quidam putant, nequaquam sursum retrahendum est, licet ad inferiora proruentibus succis, magnus aliquis in ipsis morbus futurus sit. Si verò inflammatio fieri iam cœpit, aut fortè plenitudo phlegmonosam lassitudinem inferat in parte nobili, aut valde noxium aliquod symptoma, quale desipiètia est in melancholia morbo: vicinior aliqua vena quæ è directo sit, est tundenda: & à sanguine detrahendo non est cessandum, donec tum is qui in vniuerso corpore sanguis redundabat: tum qui in parte aut inflammatione, aut phlegmonosa lassitudine obsessa continetur, effluerit. Id quod observatione rectitudinis, & communitatis, facere docent autores. Est autè rectitudo observatio lōgitudinis in eodē latere. Vnde qui latus transgreditur, rectitudinē violat. Cōmunitas verò est cōsensus per vasis ductū, à secto loco ad venam quæ alit partem affectam. Communicant sanè atq; sibi consentiunt, venæ quæ ex vno caudice, aut caudicis ramo nascuntur: aut post exortum aliter copulantur & conueniunt, siue id per venarum ramulos, siue per meatus interdum occultos contingat. Quare venæ partium iecore superiorum, non communicant cum inferioribus, nec contra: venæ verò brachiorum, cum superioribus partibus cōmunicant, & venæ crurum cum partibus inferioribus. Non est tamen omnium superiorum venarum, cum superioribus, nec inferiorū cum inferioribus, æqualis consensus: magis enim comunicāt cephalica, cum iugulo, atq; capite: & basilica cum thorace, costis, & iecore: & media cum vtrisque; quàm basilica cum capite, & cephalica cum thorace. Maiorem quoque (quanuis occultiozem) societatem habet saluatella cum iecore, aut liene sibi respondentibus: & quæ inter pollicem & indicem excurrit cum capite: & saphena appellata cum vtero: & quæ ad externum malleolum excurrit cum ischia: quàm alia vlla venarum quæ secantur. Magis etiā cōmunicant venæ dextræ cum dextris, & sinistræ cum sinistris: quàm dextræ cum sinistris. Quanuis enim dextræ atq; sinistræ, simul ex vno caudice diducantur: vtrarumq; tamen rami, seorsum per suum latus sparguntur, & rursus implicantur, & non cum ramis aduersi lateris. Meatūs quoq; carnis & cavitates musculorum occultæ, in longum exporriguntur, & non in latus. Sic enim laborante pede, aura venenosa rectà petit caput in epilepsia: sic etiam à capite per ceruicem & scapulam dextram, aut sinistram, rectà fertur podagra in pedem qui è directo est. Vnde Galenus libro de rigore & tremore, postquam Hippocratem laudauit, quòd in ancilla Estemargo (cui à puerperio totius corporis tremor, & crurium dolor cōtigit) sanguinem ex malleolo miserat: ita scribit. Quòd autem redundante sanguine sit detrahendus sanguis, cenfeo cuius esse apertum, cum à venis sanguis complectatur: quòd ve-

rò à

rò à pede, aut à poplite vtero affecto, nisi ex anatome venarum communione prius doceam, rem profectò assequi non possis. Aliæ enim alijs partibus corporis venæ sunt communes, & à communibus sectio semper facienda est. Si namq; alias secueris, neq; sanabis affectum, perpetuo verò quòd est sanum ledas. Quibus verbis constat, quanti sit apud Galenum venarum cōmunitas æstimandā, si simul cum ipsa rectitudinem obseruemus, quæ maior quædam cōmunitas est. Addit enim rectitudo cōmunitati (quæ ex vasorum ductibus spectatur) societatem alteram per vasorum orificia, & meatūs carnis, per quos facile humores aut suapte sponte decurrunt, aut à reuulsorio remedio inuitati regrediuntur: sicq; tū reuulsio, tum euacuatio celerimè peraguntur. Nam (ut autor est Galenus: 5. libro Aphorism. comment. 68.) non solum studet Hippocrates, vbi opus sit euacuare, sed etiam reuulsorie euacuare, seu cum reuulsione. Vnde libro de sanguinis missione, incipientes (dixit) phlegmonas reuulsorie euacuare oportet. Et Paulo infra subdit, Quippe reuulsiones cum euacuatione, adhiberi magis debent, in fluxionibus incipientibus. Et secundo acutorum, comment. 10. in pleuritide eam venam docet secare, quæ sanguinem ab affecta parte, & magis & velocius tum reuellere, tum vacuare possit. Et libro de sanguinis missione, cap. 16. Quæ ex eodem latere est, conspicuam affert vtilitatem, quæ verò ex altero, aut omnino obscuram, aut longo post tempore: quoniam scilicet ex manu contraria non facit reuulsoriam vacuationem, sed reuulsionem meram. Decimotertio quoq; libro Methodi de curatione iocinoris inflammati, ita scribit. Ergo pariter tū reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit sanguis est, interna in dextro cubito secta vena. Par ferè ratio est in lassitudine phlegmonosam. & si non tantum vrgeat ac phlegmone, pars tamen ipsa, quoniam phlegmonis causam concepit, celerem requirit vacuationem, antequam humor firmetur in parte. Quod obseruans Galenus. 4. lib. de Sanitate tuenda, cap. ultimo, de lassitudine dicta agēs, ita scribit. Porro æstimare diligenter oportet qui sanguinem sunt missuri, in thorace ne, dorso, & lumbis, tensio, pulsansq; dolor figitur: an in capite potius, & collo. His enim affectis, humeralem venam diuides, maximè si repletum caput, & calidum sentiunt: illis verò internam. Si verò omnino æqualiter lassitudo corpus occupat, ambarum mediam. Si ergo morbus imminet, & futurus est in parte, ex distantissima aliqua vena vacuare oportet: si in suprema, ex ima, & contra contrarium. Si verò fieri iam cœpit morbus (nisi fortè vilis ad nodum sit pars, ita ut quòd fluxum est non vrgeat nimis, nec periculum aliquod minetur) minor distantia est querenda. Nam in imis corporis partibus, inferiores venæ secantur: & in supremis, suprema: adeo ut in morbis colli, & capitis, humeraria: in morbis thoracis, dorſi, & lumborum, interna: vtrisque verò laborantibus, communis sit secanda vena. An hæc sine ratione distinxerūt antiqui? non sanè. Nam summæ prudentiæ fuit, insinuationem agēdi, à malo ipso abigendo, & parte perpeſsa (quæ debet medico illæsa seruari) sumere. Rationem autem intelligere cupienti dicamus, quòd antequam fluere incipiat humor,

sola



sola providentia utimur, ad maximè longinqua à parte quæ molestari solet humorem auertentes. Cum verò fluxio cœpit, duplex indicatio curationis est, una quidem fluxionem inhibendi, atq; auertendi humorem paratum fluere: altera verò vacuandi humorem iam collectum in parte. Quæ ambo, nec ex ipsa parte inflammata, nec ex distantissima, una possunt exequi: ex ipsa enim parte, vacuationem si moliaris, humorem non modo non inbibebis, verum etiam ad partem, maiori impetu allicies: ex distantissima verò, humorem fluere paratum auertes, eum verò qui in parte inflammata iam fluxerat, & qui circumcirca est, vix attinges. Nam licet venæ sectio omnis, ab uniuerso vacuet corpore, pars maximè distans, omnium minimè vacuationem sentit: ferè enim in longissimo ductu, sanguinis exitus delitescit. Venæ enim ipsæ cum non sint osseæ, lapideæ, aut ex dura aliqua materia cœcreta, sed molles, & quæ detumescere possunt, in suam paulatim concidunt cavitatē, ita ut non amplius turgeant. Rectè ergo si inflammatio nondum incœpit, à distantissima vena vacuamus, simplici reuulsione utentes: si quidem in capite, aut quauis parte suprema, ex pede: si verò in pedibus, aut parte aliqua ima, ex brachio. Si verò inflammatio iam incœpit, ex parte propinquiori, quàm dum ipsa erat futura, vacuare oportet: si in capite, collo, thorace, iecore, aut quauis alia parte superiore, ex brachio, non ex pede: si in vtero, vesica, renibus, lumbis, testibus, aut quauis alia parte ima, ex pede sanguinem detrahimus. Si tamen pars quæ inflammatur ignobilis sit, nec periculum aliquod minetur, ob partem fluxam: poterit medicus pro sui coniectura, aut è longinquo, aut è propinquiori, sanguinem utiliter detrahere. Sic sanè manu laborante, crura iussit scarificare Galenus, & duo crurum malè habente reliquum. 13. libro Methodi, non longè à principio. Quòd si manu laborante, crura possumus scarificare: non video cur laborante pede, non possimus ratione potiori, ex brachio sanguinem detrahere. Vnde Galenus eodem libro prope medium, si in manibus phlegmone est orta, crura iubet vincire: si in cruribus, manus. Et. 2. libro de arte curatiua ad Glaucōnem, cap. 2. genu inflammato ex brachio detrahit sanguinē. Nec præterea video, si altero crurum inflammationem patiēte, crus alterum rectè secatur: cur manu inflammata, non liceat ex altero brachio sanguinem mittere: nam sanguis qui per venam cauam discurrit, cum iuguli bifurcationem attingit, non minus ad contrarium brachium vocabitur secta in eo vena: quàm qui ad alteram bifurcationem quæ in lumborū regione fit peruenit, in alterum crus adduci possit. Quòd si experimentis attēdas (quæ maximè inquirendæ veritati valent) facile assequeris vno brachio inflammationem patiente, reliquum maxima cum utilitate secari. Quod aduertens Celsus lib. 2. cap. 10. ita scribit. Neg. ignoro quosdam dicere quàm longissimè sanguinem inde vbi ledit esse mittendum: sic enim auerti materiæ cursum. At illo modo (scilicet ex proximiori parte misso sanguine quod prius dixerat) in id ipsum quod grauat euocari. Sed id ipsum falsum est, proximum enim locū primo exhaurit: ex vltioribus autē eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur.

vbi

« vbi is suppressus est, quia non trahitur, ne venit quidem. Videtur tamen vsus ipse  
 « docuisse, si caput fractum est, ex brachio sanguinem mittendum esse: si quod in hu-  
 « mero vitium est, ex altero brachio. An verò ex brachio dolente, liceat sanguinem  
 « detrahere, dubium est: Nam. 6. Aphorismorum, com. 22. descendente dolore ex dor-  
 « so ad cubitum, ex eodem cubito præcipit sanguinem mittere, quoniam eo vergit na-  
 « tura. Quem textum ita transtulit Auicenna. 22. 3. tract. 2. cap. 7. in fine. Et si eue-  
 « nerit dolor in dorso in primis, & permutetur ad manus, tunc phlebotomia ex manu,  
 « ut egrediatur sanguis & humor, ex parte suæ declinationis. Interpretes autem in  
 « enarratione huius sententiæ valde hallucinantur: quidam enim eam intelligunt, flu-  
 « xa iam prorsus materia: qui tamen ex ipsis Galeni verbis redarguuntur, quæ aper-  
 « te humorē esse fluentē declarant. Alij plenitudinē prius fore deponendā ex altero  
 « brachio interpretantur. Sed vacuatio quæ fit quo natura vergit, non seruatur in re-  
 « uulsione quæ fit ex altero brachio, cū tñ debeat seruari in casu aphorismi, ut constat  
 « ex cōmentario Galeni, & ex Auicēna. Alij de dolore cubiti ex plenitudine venarū  
 « brachij aphorismū intelligunt, non de dolore ex inflammatione. Ex plena enim (in-  
 « quiunt) parte, sanguis mitti debet, non ex inflammata. Redarguuntur tamen, quoniam  
 « si dum imminet inflammatio antequam ipsa fiat, competit vera reuulsio: melius ex  
 « plena, quàm ex inflammata parte, licebit sanguinē detrahere. Et profecto mirum  
 « esset, si partem inflammari aptam secaremus, quin phlegmone ob sectionem ipsi in-  
 « nasceretur. Quare dicendum, quòd in eo Aphorismo non docemur mederi dolori cu-  
 « biti, sed dolori dorso qui cœpit permutari ad cubitum. Iuuatur autem naturæ iudi-  
 « cium, sanguine misso ex eodem cubito, in quem vergit natura: impediretur autem  
 « ex contrario. Si nulla nanq; fiat permutatio, sed ex sanguine denuo ad brachium  
 « defluente dolor concitetur (siue is inflammationem pepererit, siue solam vasorum bra-  
 « chij plenitudinem) secunda vena est, aut in crure qui est è directo, aut ex altero bra-  
 « chio, ut ex Galeno & Celso diximus non multo ante. An verò dolore existente in  
 « manu ipsa, liceat sanguinem ex eodem brachio detrahere, minus habet difficultatis.  
 « Quanquam & hic decipiatur Iouertus quidā Mospeliensis, qui nulla ratione com-  
 « modius sanguinem ad manum fluentem auerti posse censet: quàm si in eiusdem ma-  
 « nus cubito venam aperias: ut sanguis qui fluebat, in medio cursus euacuetur. Nā si  
 « sanguini (inquit) fluenti, pateat exitus in cubito, quomodo extremam manum petet?  
 « At verò redarguitur, nam cum multi sint canales, nō vnicus, per quos sanguis flue-  
 « re posset ad manum, ex quouis sustinebitur fluxio: nec proderit vnum secasse, ni vni-  
 « uersum brachium incidas. Sit ergo totius rei summa, quòd morbus per quem nulla  
 « pars afficitur, non eligit venam hac aut illa parte sitam. Qui verò imminet in par-  
 « te, quàm longissimè postulat auerti. Qui verò in parte incœpit non vili, si ex supe-  
 « rioribus corporis partibus sit, ex brachio: si ex inferioribus, ex pede, aut poplite, pos-  
 « sit vacuari. Terminus autem partitionis, partium supernarum ab inferis, diuersi-  
 « mode statuitur à Galeno, atq; Hippocrate: nam quarto libro Aphorism. sent. 18.  
 « septum

septum statuit terminum his verbis Hippocrates. Supra septum transuersum dolo- res, purgatione indigere per superiora significant. Quicumq; verò inferiora mole- stant, per inferiora. Et. 2. lib. de ratione victus in acutis, sent. 10. & 11. in dolori- bus septo transuerso superioribus, detrahit sanguinẽ ex cubito: in inferioribus uti- tur expurganti medicamento. Sexto verò libro Epidem. par. 2. com. 14. terminum statuit iecur, his verbis. Didicisti autem membra super iecur, venæ cubiti scissione indigere, infra verò crurum, in poplitibus nobis venam cædentibus, aut omnino sal- tem iuxta malleolos. Libro autẽ de sanguinis missione, cap. 18. Renes (dixit) ambi- guos esse: quoniam vtraq; vacuatione æqualiter ferè iuuantur, ex brachio scilicet aut talo. Cui sanè dicendum, quòd cum omnes hæ partes, coniunctæ admodum sint, exigua inter ipsas est differentia, & ferè omnes ambigunt. Nam & 6. Epidem. ci- tato, ob id dixit terminum esse iecur, quoniam conuexum ipsius, transuerso septo ad- nexum est: quo circa & quæcunq; supra iecur sunt, hæ eadem supra septum extat, cor scilicet pulmo, & hæc ambiens pectus, adhucq; multo magis collum & caput. Re- nes verò ex altera parte, non valde à iecore distant: siti enim sunt propè venam ca- uam paululum sub iocinore, adeo vt dexter qui elatior eminet, iecur ipsum nonnun- quam attingat. Quanquam autem hæc tria membra, ob propinquitatem videantur ambigere: exquisitius quàm alibi Galenus loquutus fuisse videtur, vbi iecur termi- num statuit. Primo, quoniã iecur inter ambiguos tenet mediũ, renibus enim & septo interiacet. Secundo, quoniam ab eius cauo oritur porta, quæ in omnia ferè deriuat- tur inter anea: & à parte sima oritur vena caua, quæ in ipso fit bifida, & supremis partibus vnã, alteram verò imis progerminat. Merito ergo iecur statuitur termi- nus: quoniam venarum partitionis est origo prima. Tertio, quoniam iecur ipsum, si exquisitius expendatur, partem habet supremis numerandam, & partem quæ cum imis statuitur: concauum enim ipsius ex imis est, conuexum verò ex supremis, vt Galenus est autor. 6. Epidem. par. 2. com. 14. Vnde conciliator differentia. 197. in inflammatione exigua caue partis iecoris, quæ à causa primitiua casu scilicet, aut percussione pendet (si ipso fluxionis tempore occurramus) à pede, nõ autem à brachio detrahit sanguinem. Quòd tamen autores tacuisse perhibet, quoniam rarissimus est casus. Sed fallitur tum quoniã ex casu aut percussione, gibbũ potius, quàm cauum offenderetur: tum etiam quoniam siue hoc aut illud inflammetur, vtilius semper ve- na dextri brachij interna, quàm vena pedis secabitur. Post hanc verò semel aut bis adhibitã sectionẽ, iecoris cauũ, lien, ventriculus, intestina, mesereũ, & emetum, nul- libi vtilius phlebotomãtur, quàm ex venis hæmorrhoidalibus quæ ad anum sunt. Nam à vena ianitrice hæc omnia nutrimentũ assumũt: à qua rursus hæmorrhoida- les venæ ducuntur: ob idq; ex earum sectione, ingens his membris sequitur iuuamẽ- tum, & multo maius, quàm ex sectione cuiusq; alterius venæ à caua ductæ. Non sunt autem scalpelli mucrone aperiendæ, nam cum non possint vinciri, non intumes- cunt vt cæteræ quibus aliqua parte corporis vincula injiciũtur: nec facillè sanguinis earum

earum fluor, cum secantur cõpescitur. Quare præstat hirudines, à mucore & sordi- bus purgatas, ipsis venis vehementer prius fricatis admouere. Quæ vbi hæserint, earũdem caudæ forfice sunt præcidendæ, vt sanguine per sectã caudã vacuato, ab at- trahendo nõ desistant. Remouendæ autẽ sunt cum dimidiam sanguinis partem ex- traxerint: reliquum enim post hirudinum detractionem, solet è plagis suapte sponte effluere. An verò in inflammatione partium supra iecur, liceat aliquando sangui- nem mittere ex talo, aut poplite, dicendum est: quòd si venæ brachiorum non ap- pareant, aut si coniecimus partes infra iecur, esse mandantes & transmittentes; (vt si ob menstrui, aut hæmorrhoidalis sanguinis suppressionem, angina aut pleuri- tis fiat) ex talo aut poplite sanguis est detrahendus: sic enim in cõtrarium vnde flue- bat, agitur sanguis, & menstrua etiam cientur. Quæ omnia notauit Trallianus. Libro enim. 1. cap. 17. postquam in melancholia morbo, ex sanguinis copia nascenti, sanguinem abundantẽ ex cubito demere iussit, ita scribit. Quòd si à brachio vacua- tio fieri nequit, tentandum est eam à poplite, & tali partibus moliri. Atq; hoc magis in muliebribus corporibus faciendum est: quippe menstruam purgationem prouocat. Cum autẽ venas cubiti non manifestas inueneris, eas quæ cõmemoratis locis subia- cent, incidere tunc oportet. Nam ad affectum prædictũ sanguinis vacuatio est ne- cessaria. Nihil igitur minus iuuabis, ex quacunq; parte sanguinem detraxeris, cum etiam omnia simul vacuentur, quẽadmodũ diuus Hippocrates ait, cõfluxus vnus; conspiratio vnã, omnia consentientia. Et lib. 4. dum angina medetur, ad hunc mo- dum scribit. In muliere autem venas ad talum aperui, cum ipsam mensibus nõ pur- gari cognoscerem: atq; illinc potius ei morbi occasionẽ obuenire. Ac duplex egrõ tanti cõmodum ex eo subsequutum est, nõpe consuetarum vacuationum admonitio, & affectus liberatio. Idem etiam in viris tentandum est, si ipsos sanguinem per ve- nas in ano extantes, vacuare solitos diliceris. Quibus sanè verbis non explicat, an prima phlebotomia, an secunda sit ex talo faciendã. Ego sanè si angina, aut pleuri- tis grauis esset, ob celeritatem subueniendũ, primò venã brachij secarẽ, & deinceps talum aperirẽ: in leui verò, quæ non admodum vrgeret, ab ipso talo inciperem. Com- mune enim, ac maximũ præceptum est, ei semper quod magis vrget, subueniendum prius esse. Magis autẽ vrgeret tũc quidpiam putamus, cum maius periculum est ad- laturum, aut sine quo alterũ curari non potest. An verò in morbis partium iecore inferiorũ, vteri, renũ, vesicæ, testium, lãborum, coxendicis, atq; crurum: sanguinem liceat mittere ex brachio, an semper ex talo, aut poplite, sit vena secanda, dubium est. Vniuersale enim præceptum tradidit. 6. libro Epidem. par. 1. com. 6. Gal. quòd in partibus quæ supra hepar sunt, è manibus: in inferioribus autem, è talo, aut popli- te, sanguis sit detrahendus. Et libro de sanguinis missione, postquã partes quãsdam enarrauit, quæ ex sectione venæ cubiti iuuantur, ita scripsit. Sic quæ his inferiores sunt, illis quæ per poplites, & malleolos decurrant. Sunt autem dictis inferiores; coxendix: vterus, vesica. Et libro. 6. Aphor. com. 36. quòd in morbis vesicæ, non

liceat venas manuum secare de Hippocratis mente, quoniam infra iecur locentur memorie mandauit. Et. 12. libro Methodi, Renibus. (dixit) & vesica, pudendo, & utero, sic habentibus, eas quæ in cruribus sunt sitæ, ac potissimum quæ circa popliteum sunt, si minus eas quæ iuxta malleolū: ac perpetuo quidē in omnibus eam quæ è directo est. Contrariū verò verius quibusdā videri posset. Primo, quoniā renes dixit ambiguos esse ad utranq; vacuationē, lib. de sang. miss. cap. citato Galenus. Secundo, quoniā. 2. lib. de arte curatiua ad Glauconem, cap. 2. in apostemate genu, sanguinē mittit ex brachio. Tertio, quoniam decimo libro de compositione medicamentorum secundum locos, capite de ischiade, in dolore coxendicis primo detrahit sanguinem ex cubito, deinde plenitudine vacuata ex pede. Paulus præterea & Aetius, dum inflammationi uteri medentur, venas cubiti prius secant, post eas verò quæ in poplitibus atque pedibus habentur. Et ratio videtur fauere, nam à principibus membris magna ex parte fluxiones oriuntur: in ijs enim succi ad totius corporis nutritionem generantur. Ergo etiam si inferiora patiantur, eæ venæ prius sunt aperiendæ, quæ citius & magis principes partes exhauriūt: tales autē sunt quæ in cubito habentur, quarto libro acutorum, commentario vigesimoquarto, auctore Galeno. Ijs etenim exhaustis, fluxio recta ratione cessabit. Quid in expeditione huius appetitis contradictionis sit sentiendū, partim diximus, partim sumus dicturi. Diximus enim paulo ante (si nostri non sumus oblit) quòd si inflammatio est in parte vili, & quæ periculum non inuehat (magna præsertim existente plenitudine) ex distantissimo prius est vacuandum. Præstat enim morbus inducias simplicis reuulsionis, ut post tandem accedamus parti proximæ. Sic crure laborante (ut diximus) manus insit vincire, decimotertio libro Methodi. Sic genu in tumorem sublato, ex brachio prius sanguinem mittit, secundo libro ad Glauconem. Sic in ischiade, brachij venam prius secat, decimo libro de compositione medicamentorum secundum locos. At uter, renes, vesica, testes, nobiliores sunt partes, & inflammata non sic præstant inducias: ingens enim periculum promittunt, quare non licet in ipsis uti sola reuulsione, quæ sanguine missio ex brachio fit: sed propinquiorē venam oportet quarere in poplite, aut talo, quæ simul reuellat & euacuet plurimò inde sanguine missio. Quæuis enim sola, simplexq; reuulsio, melius fieret ex brachio: interim tamen, in inflammatione contentus sanguis computresceret, dolorem inferret, & partem labefactaret. Quare præstat vnica ex talo aut poplite sanguinis missione, humorem fluere paratum, simul & eum qui in inflammatione continetur (antequam inemendabilem in parte inferat noxam) deponere. Quòd si vires non adeo constent, ut huiusmodi sanguinis detractionē copiosam tolerare queant: satius est ex brachio prius reuellere, deinceps verò ex talo vacuare. Quòd sanè Galenus, aut quisquis eius libri fuit auctor, in libro de renū affectorū dignotione, ac curatione annotauit. Scribit enim, quòd ubi valida fuerit virtus, venam quæ in poplite est aperimus, vel quæ ad malleolos: si imbecillis, venā quæ est in cubito. Quòd sanè nos, nō modo in renū inflammatione,

matione, sed etiā uteri, vesicæ, & pudendorū, seruandū esse cōsulimus. Nā Galenus ex talo sanguinem mittere præcipiēs, supposuit vires adeo esse robustas, ut per vnica sanguinis missionem ferre valeant euacuationem cum auersione simul. Vbi verò vires tantam nequeant ferre vacuationem (quòd ferè nostro tempore fit, ob vires iam imminutas) tutius est cum Paulo & Aetio, internam cubiti venam è directo sitam secare, & demum eam quæ in poplite, aut talo est. Nam per iouem si pleno existente corpore, parcam vacuationem ex pede adhibeas, humoris cursum ad uterū, vesicam, renes, aut pudenda inuitabis: & retentrix corporis facultas, quæ suapte sponte est imbecilla, nō retinebit humorē, sed vniuersa materia præceps rapietur, & partem assiduo defluxū impetet. Nam si sanguinis detractione ex pede, menstruas purgationes mouet, & ex cubito reuellit, ut libro de sanguinis missione, cap. 18. auctor est Galenus: cur incipiente uteri inflammatione, parcam sanguinis detractionem ex talo, aut poplite, non timebimus? Cum Galenus præsertim libro. 2. de arte curatiua ad Glauconem, cap. 2. eo timore perculsus, in uteri inflammatione ex brachio qui è directo est reuellit, & ex crure deriuat per communes venas. Sunt autem Galeni verba, quæ sequuntur. At ex posito indicatio, neque ipsa negligenda est: nam per quæ euacuare oporteat, aut quomodo, ipsa præcipue demonstrat. Fluentium igitur humorum retractio (sic enim Hippocrates nominat) eorum autem qui iam membrum obsederunt, deriuatio medella est. Vtrumq; autem vacuationis genus, per communes venas fieri præcipit: veluti in locis muliebribus in contrarium trabes, si eas quæ in cubito sunt secueris venas, aut mammillis cucurbitas apposueris, vel manus cōcalesceris, & fricueris, atq; alligaueris. Deriuabis autē, si eas quæ in poplitibus, aut talis, venas diuiseris, & cucurbitas coxis applicueris, & crura calefeceris, ac perfricueris, atq; alligaueris. Et siquidem in parte dextra locorum passio fuerit, à dextra manu, aut crure detraheris sanguinē: si verò in sinistra, à membris quæ illi in directo sunt. Circa quæ Galeni verba dubitare est, quomodo tam reuulsionem ab utero quæ fit ex brachio, quàm deriuationem quæ ex crure obitur, per communes venas fieri dicat, si venæ iecore superiores, cum inferioribus quæ ad crura tendunt communitate carent, ut ex Galeno docuimus? Cui dicendum, quòd per venas communes hic non intellexit, eas quæ societatem inter se seruant, siquidem ea carent venæ brachiorum cum uteri venis: sed (quòd infra repetemus) venas cōmunes interdum appellat venas magnas, quæ sanguinē pluribus partibus cōmunem continēt, sicut cōtra homogicas appellat eas, quæ particulares aut priuatae sunt, quoniam partem cui dantur solam nutriūt. Inquitq; quòd tam reuulsio, quàm deriuatio, per venas magnas, non autem per homogicas fieri debet. Hæc de indicatione à situ partis sumpta, vniuersim dicta sufficiant, ut ad alias indicationes orationem nostram conuertamus.

Ex plenitudine vasorum totius corporis, aut paucitate materia in ipsis redundantis, indicatione sumpta: diuersam venā deligendam esse diximus. Nam in magna



plenitudine, ex distantissimo maximeq; contrario est vacuandum: tunc enim verisimile est, ex vniuerso corpore sanguinem in partem agram confluere. Si minor plenitudo sit, vicinior vena est tundenda: nam tunc ex vicinis partibus, atque è directo fluxionem potius oriri par est. Si verò admodum pauca materia in toto redundet, ex ipsamet parte plena & inflammata, scarificatione, cucurbitula, aut calido atque digerente fomento, vacuare oportet. Nam si totius corporis plenitudine laboranti, pleuritis leua in parte fiat: verisimile est, ab vniuerso corpore in partem inflammata, humorem decurrere. Te enim percontor, si ante pleuritidem, signa affuerunt vniuersalis plenitudinis, venarum tumor, oculorum rubor, dorsi, ac totius corporis tensio, atque grauitas sensata: antecessitq; causa vniuersi corporis sanguinem commouens. (sol inquam, ira, labor, aut balneum:) non ne tunc membra omnia commota, & sarcinam deponere cupientia, huc atq; illuc sanguinem impellunt, vincuntq; fortiora, & in debiliora deponunt? Siquidem dextrum latus est imbecillius, in eum fit dicubitus: in laeuum verò si sinistrum: ita vt verè dicere possis, vni latus in alterum, exonerari: alioqui duplex, non vnica semper fieret pleuritis. Reuulsionis autem natura est, in eadem partem trahere à qua fluere incipit, ab aduerso ergo latere, commodissimè quantum ad hanc indicationem attinet, prima sanguinis detractio fiet. Siue enim à brachio, siue à pede eiusdem lateris, materiã reuoces: periculum est ne obiter in agram partem incidat. Cuius omnino securus fies periculi, si ad diuersum latus retraxeris: in eum enim haud difficulter, etiam qui in altero latere sanguis redundat, illabetur à reuulsorio remedio inuitatus: & qui per venam caua discurrit, cum ad eiusdem venae bifurcationem quae in iugulo est peruenit, si ad sinistrum latus tendere solebat, facillimè in dextrum illabetur, à venae in dextro brachio sectione vocatus. Vnica autem ratione sola, à dicto periculo securus fies (omnium quotquot hanc rem tractarunt sententia) eiusdem lateris venam tundens: si plurimum scilicet sanguinis semel vacues, ita vt vniuersam plenitudinem demas: ne quid restet amplius fluxioni paratũ, & in inflammatione contentũ sanguinem pariter abstrahas. Huiusmodi enim felicissima esset vacuatio, & quae citissimè reuelleret, & euacuaret, ac morbum penè extirparet. De qua loquutum fuisse Hippocratem, atq; Galenum. 2. acut. sent. 10. & 4. acut. sent. 73. & 74. ad sanguinis vsq; mutationem ex eodem latere vacuantes, non dubito. At verò cum nostra aetas non adeo frequenter ferat largissimas sanguinis detractiones, quales antiqui ferebant, vt capite vigesimoquarto huius tractationis diximus: rarius fit vt sanguinis eam permutationem expectare queamus, vt expectabant antiqui. Offerent sese tibi robustissimi quidam homines, quos nostra aetas interdum fert, in quibus periculum tutò facies, & citò persanabis eosdẽ. Non paucos tamen offendes, qui largissimae vacuationi non sufficiant, sine graui discrimine: in quibus aut mors interpestiua, aut (quod cauit Aëtius, & nos antea dõ capite monuimus) pro pleuritide, pulmonia ob imbecillitatem succedat. At quid incommodi sequi remur per-

conta-

contaberis, si ex eodem latere sanguis in corpore pleno parcius detrahatur? tibi responsum esse volo. Primo, quòd humor ex parca sanguinis detractione agitur, & fluxilis redditur. Secundo, quòd cum non vacuetur plenitudo, ex incepta euacuatione inuitatur, & in ipsum latus adducitur. Nec valet si dicas, aut non trahi prorsus, cum Celso dicente, quòd eatenus sequitur, quatenus educitur, quare si non amplius vacuatur, ne venit quidem: aut quòd trahitur ad brachium, non ad pleuram, inter quae est sufficiens distãtia. Non valet (inquã) nam si venae sectio, non habet vim vocandi ad se, vt quid in praecautioe à futuro malo, non licet sanguinem mittere ex parte vicina, aut saltem ex non distantissima? Vt quid praeterea in mensibus detentis, iterata detractione sanguinis ex talo vtimur, vt eosdẽ suppressos moueamus? Vt quid naturam assuescere, in partem à qua fit detractio docent autores? Ab ipsa praeterea parte cur non vacuamus à morbi initio, si eatenus tantum trahitur sanguis, quatenus educitur? Quòd verò ad venam brachij trahi, non autem ad pleuram dicunt alij, ridiculum est. Primo, quoniam ea vena, non est adeo capax, vt vniuersam plenitudinem capiat. Secundo, quoniam cum magnam societatem ea vena habeat cum pleura inflammata, facile se sanguis ex ea dabit in praecipitium: quae enim facilitate, ex inflammatione sanguinem vacuat, eadem in ipsa abundantem imparietur parti inflammatae. Quin facilius multò erit, à superioribus partibus grauari inferiores: quàm humorem suapte sponte grauem, sursum auertere. Responso verò Brisoti, quid longinquius (inquit) quàm extra corpus ducere, insulsa est: & miror sanè quòd quibusdã doctis placuerit. Nam ea ratione, sectio etiam in ipsa parte inflammata, traheret ad longissimum. Quare (quantum ad hanc attinet indicationem) cum agris bene agi existimo, si plenitudo subsit ingens, vires autem non adeo constent vt plenam vacuationem simultaneã tolerare queant: aut alia fortè adsint quae minorem sanguinis copiam detrahendam fore suadeant (de quibus cap. 23. egimus) si ab interna vena aduersi lateris in pleuritide sanguinem parcius mittamus, deinceps verò ad comparem eiusdem lateris in quo inflammatio sedet, venam accedamus. Nisi doloris vehementia (quae frequentius solet adesse) contrarium faciendum esse suadeat: tunc enim ab eodem incipimus parcius detrahentes, donec doloris vehementia sedauerimus: & rursus ad aduersum (ex quo fluxionis originem esse coniectauimus) properandum erit: ne iterum fluxio maiori fortè impetu, in partem quae affici coepit feratur, & irruat. Galeni hac in parte, vtilissimum praceptum semper obseruantes. 6. Epid. par. 2. com. 8. vbi nõ esse insistendum toto fluxionis tempore in reuulsorijs remedijs, sed interim interponendum esse mediũ tempus vacuationis noxij humoris in parte contenti cõsulit: ne humor in membro diutius remanens, ipsum cõtristat, tũ multitudine distendens, tum qualitate discrucians. Fit namq; ex huius consilij obseruatione, vt fluxio cesset tũ ad suã originem retracta, tũ sedatis dolore, ac calore partis, quae fluxionis non leues causae sunt.

Ex morbi quoq; magnitudine, atq; symptomaticis vehementia, aut lenitate,

Kk 3 diuersa

diuersa vena secatur, tum in pleuritide, tum etiam in quauis altera inflammatione. Si enim morbus atque dolor leuis sit, parumque vrgeat: negocium totum naturæ, & leuioribus remedijs, committit in pleuritide Galenus. 6. libro Epidemiarum, parte. 3. comment. ultimo. Si verò ingens sit & vrgeat plurimum, citissimè reuellere, ac euacuare conuenit, ex proxima aliqua vena. Quod in acuta pleuritide fecit Hippocrates. 2. libro de victu acutorum, comment. 10. Et in angina lethali, quæ breui strangulat, & non præstat inducias diuertendi, primo die secat Trallianus venas linguae subiectas. Et vniuersim in seuis doloribus, proximum ventrem exhaurire, & sanguinis ventrem rescindere, iussit Hippocrates. 6. lib. Epidemiarum, par. 6. commen. 5. Sed iam hic plures, qui de Galeno bene mereri se prædicant, auribus (quod aiunt) teneo: ob id enim tradit nunquam licere ab aduerso latere sanguinem in pleuritide detrabere: quoniam (inquiunt) omnis pleuritis plus vrget, quam vt præstet inducias simplici reuulsioni: ob idq; simul reuellunt, vacuât, & deriuant, ex eodem latere. Nos verò locum Galeni, è. 6. libro Epidem. par. 3. comment. ultimo, indicauimus nuper, in quo pleuritides tam simplices memorat, vt nec ad sanguinem mittendum nos cogant. Et erunt necessariò inter has leuissimas, & grauissimas illas quas pingunt, mediæ quædam pleuritides, quæ sanguinis missionem poscant, & ad citissimam deriuationem non cogant. Ne verò quispiam eum Galeni locum me finxisse putet, neue eum hic desideret, ipsissima Galeni verba subiungam, quæ sic habent. Id mihi vltèrius animaduertere contingit, cum librū de Humoribus explanarem. Inter explanandum enim quendam agrotum intuitus sum, qui me vt sanguineo sputo vexatus accersuit: sed cruenta ob lateris affectum expuebat. Sputum igitur ego conspiciens, ipsum interrogauit num aliquem dolorem in latere sentiret? ipse verò exiguum se dolorem percipere fassus est: talis autem erat eius habitus, atq; vires, vt si sanguinem expuisset, quoniam morbi magnitudo vrgeret, ad secandæ venæ auxilium accedere ausus essem. Sed cum morbus lateris mitis admodum foret, necesse non fuit, ideo neque id genus remedij adhibuimus: atq; euidenter hominem huic lateris morbo laborare cognouimus, & alijs huic morbo conuenientibus remedijs, citra venæ sectionem subleuatus est. Mitissimi enim illi sunt, in quibus cruenta sputa eijciuntur. Hæc Galenus. E quibus fortè, persuasus Rasis libro diuisionum, in pleuritide sanguinea, ex brachio opposito sanguinem detrahit primo, post tertia die, ex eodem: in biliosa verò, ab ipso morbi initio sanguinem mittit ex eodem brachio: quoniã vt sanguinea sunt mitiores, ita biliosa seuiore. Præstat autem morbus mitis inducias diuertendi: seuius verò cogit symptomatis lenitionem accelerare. Si enim in pleuritide biliosa, quæ lateris dolorem ingentem infert, statim ab initio eiusdem lateris vena interna non secetur: dolor ipse non lenietur, & facultas præ doloris vehementia prosternetur, phlegmoneq; augetur: quoniam dolor est de maxime trahentibus, ac prosternentibus virtutem. Quanquam ergo sit præceptum in humore fluente, trahere ad distatissimū: intercedunt tñ quædam aliæ indi-

indicationes suadentes minorem distantiam: ob quas eligitur modica, non extrema. Inter quas est vna eaq; maxima, in angina strangulatio, & in pleuritide doloris vehementia: in quibus magis intendimus strangulationem impedire, & dolorem leuare, quam humorem auertere. Hæc autem commodius facit, sectio ex propinquo, & è directo partis affectæ, quam ex longiori, & diuerso. Atq; hoc Galenum voluisse credo, 13. lib. Methodi, cum dixit, Ad partes quæ maxime longinquæ sint, semper reuulsionem facies: æstimata tñ phlegmones magnitudine, tum corporis totius statu. Phlegmonis enim magnitudo, & vrgetia propinquius accedere: paruitas verò recedere longius suadent. Phlegmonis autem magnitudo, tripliciter intelligatur, iuxta ipsius Galeni doctrinam. 4. libro Methodi post medium, nempe vel propter afflictæ partis præstantiã, vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quod sunt cacothæ. Nam externorum membrorum inflamatio, cum minus vrgeat quam ea quæ intus habetur, non poscit tantam propinquitatem: quæ verò partes internas, ac nobiliores obsidet, vrget maxime, & ad citam deriuationem nos cogit. Quare in inflammatione externa thoracis, aut musculorum intercostalium, aut brachij, aut humeri, non dubitarem ex altero brachio sanguinem prius detrabere. Vnde Celsus libro. 2. cap. 10. si quod in humero vitium est, ex altero brachio sanguinem detrahit. Et. 13. libro Methodi, vno crurum male habente, reliquum scarificat Galenus. An verò exquisita pleuritis (quæ in membrana costas subcingente fit) debeat inter internos, an inter externos morbos numerari, non vsq; adeo constat. Videtur enim ex internis, quoniam intra costas continetur, & intus per tuissimam commodam habet expurgationem. Videtur quoq; ex externis, quoniam pleura costis alligata est, interna membra intus suspensa continens: perinde atq; abdomen continet iecur, lienem, intestina, & ventriculū, quæ intus in corpore, veluti pendetia sunt. Sicut ergo abdomen inter externa connumeratur, ita & pleura, quæ non est profundior abdomine, sed in eiusdem directo. Abdomen verò, inter externa numerari, docuit Gal. 6. Apho. com. 7. vbi enarrans Hippocratis sententiam (dolores ventris sublimes leuiore, qui verò non sublimes fortiores) ita scribit. Sublimes nunc intelligendi sunt, non secundum longitudinem corporis, sed profunditatem. Interstinguntur autem hi, in locis ad ventrem attinentibus, interiore abdominis membrana: adeo vt quicunq; supra hoc fiunt, sublimes vocentur: qui verò infra, hoc est in ipsis intestinis, atque ventriculo, non sublimes dicantur. Liqueat autem, quod tales rectè dixit esse fortiores. Quare dicendum videtur, quod vera pleuritis inter externos & internos morbos ambigit: nec enim adeo est grauis vt pulmonia, nec tam leuis vt cutis, aut intercostalium, vel externorum musculorum inflamatio. Quo fit, vt ratione magnitudinis morbi ex partis præstantia sumptæ, non magis vnum quam alterum latus in pleuritide ferire debeas: quoniam pleura, nec est pars prorsus interna, nec valde nobilis, nec actionem aliquam exhibet admodum necessariam. Si verò due aliæ rationes magnitudinis accedant, scilicet quod

inflammatio sit ingens, aut maligna, doloremq; & febrem, & alia symptomata, afferat angustiosa: illico ex vena dextri brachij interna, sanguis est copiose detrahendus. Siq; dolor sit adeo grauis vt vires dissoluat, qui nec ex interna sectionibus sedetur, nec moram concedat procrastinandi alia remedia: cucurbitula scarificata ipsi lateri affecto est inter venae sectiones interponenda, vt proximo ventre euacuato, dolor quadantenus sedetur, ex Hippoc. consilio, 6. Epidem. par. 6. sent. 5. & rursus eiusdem lateris interna est secanda, iterumq; si dolor postulat cucurbitula est affigenda, vt inter retrahentia auxilia partis ipsius euacuationem interponamus, iuxta Gal. consiliu. 6. Epi. par. 2. com. 8. Sed insultat argenterius ad huc modu, Si proxima venae sectio succurrere potest vrgentissimis doloribus, & partium principu inflammationibus: cur etiam in leuioribus affectibus, & partium ignobilium inflammationibus non optulabitur? cur sinemus ignobiliores partes diu vexari, & leues morbos diutius protrahi: si ad medici praesertim officium attinet, cito, tuto, & iucunde mederi, vt scribit Galenus lib. 13. Methodi? Quae insuper ratione in leuioribus affectibus & fluxionibus, praecipiemus ad distantissima reuellere? quandoquidem Gal. 4. Methodi ante finem solam deriuatione sufficere dixit, vbi leuiter fluunt humores, vel inueterata sunt mala maximas vero reuulsiones (quales sunt, quae ad distantissima sunt) tunc necessario adhibendas fore praecipit; quando vehemens est impetus, & motus humorum. In genu praeterea inflammatione, ac fluxione (quae non leuis, sed asperrima esse solet) sanguinem mittit ex cubito Gal. 2. lib. de arte curatiua ad Glauc. non pedet igitur propinquitas venae secandae, ex grauitate affectus & symptomatium: nec distantia ex leuitate: sed quia fluxioni semper est vna eademq; ratio reuellendum, siue grauis, siue leuis, sit affectio. Quibus tamen respondendum est, quod vbi ingens est dolor, sanguis e proximo ventre debet hauriri, vt dolor prius sedetur: tum ne vires conficiat, tum etiam quoniam dolor est validu attrahens: qui ergo a doloris lenitione orditur, doloris ipsius causam prius subtrahit, & recte procedit: maius enim tunc fit iuuamentum (scilicet lenitio doloris, & virtutis tutela) quam sequatur nocumentum ex tractu materierum, quod aliquatenus impeditur, reuellentibus ad partes valde distantes adhibendis. Vbi vero dolor leuis est, si proximam venam incidamus, non operamur ex arte: sed incidimus in periculum tractus humorum, exiguo, aut nullo accedente iuuamento. Sic in angina strangulate venas aperimus sub lingua prius: quoniam quamuis melius, securius, & magis ex arte factu esset, si cephalicae sectiones praemitteremus: interim tamen strangularetur aeger. Sic in pleuritide pra dolore nos conficiente, & inflammationem valde augente, cucurbitulam scarificatam lateri apponimus, & post reuellimus. Sic 6. libro Epidem. par. 2. sent. 8. ita scribit Hippocrates. Deriuare, cedentem retrahere, renitentem cedere. Per quae tria verba, trium seriatim, & ordine quodam, in vehementibus doloribus a nobis agendorum, nos voluit qua solet breuitate admonere. Primo, quod deriuemus ad proxima, materiam in parte inflammata contentam, vt

dolor

dolor leniatur. Secundo, vt statim retrahamus materiam quae cedit tractioni, ob sectionem factam in parte propinqua. Tertio, vt materiam in inflammatione residuam (quae nec deriuari per proxima, nec transferri in longinqua potuit) concedamus naturae resoluenti, aut per spatium (verbi gratia) aut per insensilem resolutione. Sic Galenus. 2. libro de ratione victus in morbis acutis, com. 10. Ob acutiem morborum partium inflammatarum thoracis, venam internam affecti lateris scindit, quoniam communi & cephalica est propinquior, in hac verba. Nos vero partem eam quae phlegmone obsidetur, tu celeriter, tum quam ceteras partes magis, in acutis praesertim morbis vacuare contendimus. Quod sane interna cubiti vena facit, multoq; magis vbi sanguinis redudatia ad superiora vergere videatur, aut superiores thoracis partes affectae sint. Quae cum argenterius ignorauerit, male Galenum erroris insimulat, & iuuenibus imponit, vt vtilissimam & valde necessariam curandi rationem, ex vehementia, aut lenitate morbi & symptomatium, hac in parte desumptam, negligant. Vbi enim mors, aut casus virtutis, ex horum grauitate impendet, venas linguae aperimus in angina: & cucurbitulam scarificatam admoemus, pleuriticoru lateri, ante alias euacuationes. Sic etenim agru ab orci faucibus eruimus: in quas eundem congeremus, si in angina aut pleuritide leuioribus, ex quibus praesentaneu periculum non impedit, huiusmodi vacuationes ante totius corporis integram vacuationem tentaremus. Nec tamen ex hoc credat in leui omni malo longius nos auertendum esse praecipere: tam leuis enim interdum est pleuritis, vt sanguinis detractione non indigeat, autore Galeno. 6. lib. Epidem. par. 6. com. 5. Quo casu libro. 2. de ratione victus in acutis, comment. 1. in pleuritide: & 6. libro Aphorismorum, com. 31. in ophthalmia fomentum tetat, vt digerat exiguum sanguinem: Quod tamen reycit si statim non sedat dolorem (quanuis enim leuis sit affectus, grauior est tamen quam vt solis localibus debeat sanari) & deriuatione per propinquam aliquam partem tunc vti docet in pleuritide, secta interna eiusdem lateris (quonia propinquior alia non reperitur sectioni opportuna) in vteri morbis deriuatione ad vias vrinae, & in morbis vesicae ad vteru, iuxta Galeni doctrinam. 4. libro Methodi ante finem: ne eum locum nostrae sententiae aduersari credat argenterius. Na leuis altera inflammatio, aut dolor, quae quonia minus vrget reuulsionem ad distantissima poscit, absolute grauis est morbus, & vehementem fluxionem habet adiunctam: leuis autem appellatur in collatione alterius vehementissimi, qui non praestat inducias prius reuellendi ex distantissimo, & deinceps deriuandi ex proximo. Sunt namq; (vt scribit Hippocrates, primo libro de morbis, non longa ab initio) quaedam morborum occasiones, repentinam curationem postulantes: in quibus paulo posterius non sufficiunt medici: pleriq; enim paulo posterius pereunt: aliae vero quae tardius, & per longiora interualla curari poscunt, quae si celerius curentur, plane laedantur. In illis anteponenda est celeritas securitati, in his vero securitas, celeritati remedij.

Kk 5 Origo



Origo fluxionis venam secandam variat, interdum enim pars ipsa affecta, ob calorem aut dolorem, ex alijs attrahit: alias verò pars alia in ipsam humorem transmittit: interdum autem totum corpus in ipsam se exonerat. In prima pars ipsa affecta, in postrema latus aduersum, in media pars ea à qua fluxio oritur (si venam habet sectioni oportunam) est secanda: sin minus proxima aliqua vena est tūdenda, per quā humores ad ipsam fluxionis originem, aut ei quā finitimam reuocentur. Sic enim exactissima fiet reuulsio, per quam fluxiones motu prorsus contrario sistuntur: quāuis in ea reuulsione amittatur rectitudo, aut communitas vasorū. Nec obstat, quod rectitudinem, & communitatem, seruanda esse præceperit Galenus, tam in reuulsione, quā in deriuatione obeunda. Frequentiam enim, & non perpetuitatem, hoc præcepto significauit: quoniam scilicet fluxiones per rectum magna ex parte fiunt, & quodlibet latus suam habet dispensationem. Vbi tamen medicus nouerit, naturā in fluxionibus rectitudinem, aut communitatem violare (quantumuis raro id fieri soleat) medicus quoque easdem violat necessum est: ut motum contrarium, morbofo motui semper opponat, reuocetque fluxionem eò vnde eius exiit origo. Quod quoniam non semper est obuium, sed abstrusum & saepe latens, valde considerandum, & indagandum fore consulit Hippocrates. 6. libro Epidemiarum, par. 2. sent. 15. Vbi ita scribit. Consideranda hæc, quò, & vnde, & propter quid. Et Galen. 1. libro ad Glauconem, cap. ultimo, ita scriptum reliquit. Et quidem has & alias excretiones omnes prænoscere licet, si hæc duo tantum considerauerimus, & vnde natura motus agatur, & in quam partem. Nam & quæ deficiunt adiuuabimus, & quæ immoderate feruntur coercebimus, si ista nouerimus: veluti confestim sanguinis fluxus ex splene, magnæ cucurbitæ sinistris præcordijs suppositæ facile retrahunt: at qui ex hepate prodeunt dextris, & qui ab alijs mēbris eadem ratione. Hinc. 2. lib. ad Glau. cap. 2. Galenus, in genu inflammato cum corporis plenitudine, & lib. 10. de compos. medic. secundum locos, cap. 5. in ischiade sanguinea, ex brachio primum reuellit, communitatem vasorum spernens: quoniam ex superis partibus in quibus humorum est officina, in imas fluxionem deriuari credit: satagitque contrarium motum facere ad originem potius reuellendo: quā vasorum communitatem obseruare. Quā sententiam transcripsit Paulus lib. 3. cap. 77. Sic Aëtius sermone. 2. 4. tetrab. cap. 21. de testium & scroti inflammatione agens, ita scribit. Et si inflammatio uehemens fuerit, præsertim in iuvene sanguinem multum habente, vena cubiti secanda est (si id fieri potest) sin minus tali, nam & hanc secare prodest, vbi sanguis non fuerit multus. Et cap. 30. in inguinis inflammatione cubiti venam secat, tantumque sanguinis detrahit, quantum plenitudo postulat, ut ad supernam originem reuocet fluxionem infra factam. Sic Alexander Trallianus, lib. 7. cap. 1. dū sanguinis reiectioni, per venæ sectionem in cubito mederi iusserat, ita scribit. Iuuat ipsos nihil minus, etiam ex imis corporis partibus sanguinis detractio. Noui autem ego me cum venæ cubiti in conspectum non venissent, etiam ex venis in talo seētis sanguinem demisisse,

& multo magis profecisse. Non solum quoniam (ut ipse inquit Trallianus) materia ad longinquiores partes prouocatio, firmiorem multo reuulsionem efficit (ex ea enim ratione, semper prodesset magis) sed quoniam ex origine inferna irruere defluxiones istiusmodi (in quibus magis per tali, quā per cubiti sectiones proficimus) reeta ratione possumus coniectare. Sic experimentum ostendit, quod multi pleuriticorum dolores, qui per sectiones internæ venæ quæ è directo est, noluerunt sedari: secta interna aduersi lateris sedantur: cum nimirum origo fluxionis ex altero erat latere: Quod quamuis raro, fit tamen interdum. Quam raritatem voluit significare Galenus. 5. lib. Aphor. com. 68. dextrum & sinistrum, inter reuulsionis differentias memorans, in hæc verba. Auersio autem ad contraria fit, secundum longitudinem quidem, supra & infra: secundum latitudinem verò, hinc inde, hoc est à dextris, & à sinistris: secundum altitudinem verò, ante & retro. Et libro de reuulsione, vbi ita scribit. Atque ut summam rem complectar, ita reuulsio efficitur: in humoribus videlicet partes superiores petentibus, ad inferiores: & contra si inferiores petant partes, ad exteriores, & contra ad dexteram similiter partem, aut laeuam: item in anteriorem, aut posteriorem siquid defluerit, ad oppositas partes reuulsio facienda est. Accedit & ratio, nam ex cuiuslibet venæ sectione vniuersum corpus vacuatur, & venæ omnes exhauriuntur: quanquam impari id celeritate & dissimiliter contingat, ut. 2. libro acutorum, com. 10. scribit Galenus: si ergo aut à toto, aut latere aduerso, est fluxionum origo, inde reuellendum est. Nec hanc indicationem prætermittere licet, quoniam difficile agnoscatur motus initium: licebit enim interdum quibusdam coniecturis, & alijs firmioribus inditijs, ipsum consequi: in quod enitendum esse, consulunt Hippocrates & Galenus. 6. lib. Epidem. par. 2. com. 15. & 1. ad Glau. cap. vlt. alioqui superfluous esset is labor. Nam cum vniuersum corpus (antequam in partem aliquam irrueret sanguis) plenum & grauatum præsensit eger, & causa quæ eam plenitudinem comouit, vniuersum corpus & sanguinem vndique commouere est apta (ut sol, ira, aut labor) tunc à toto conflueret coniectamus: sicut ab vno laterum, si in eo solo grauitatem præseusit. A toto insuper corpore sanguis & prauis vapores in caput feruntur, cum per febres acutas phrenitis fit. Et ab ipsa parte inflāmata fluxionis originem pendere intelligimus, si iccta, vuluerata, aut calfacta fuit prius. Sicut à capite in subiectas partes humorem defluere existimamus, si præcessit calor dissoluēs, aut frigus exprimēs. Cū ex pleuritide præterea fit perimnemonia, aut phrenitis, ex affecto latere permutatio fit. Cum menses cobibentur, aut hæmorrhoides, aut antiquum vlcus manare solitum: inde progrediuntur fluxiones, eoque sunt reuocandæ. Cum insuper secta vena quæ è directo est, & communitatem cum parte affecta seruat, non leuat aut sanat affectum, coniectandum est fluxionis originem aliubi esse positam. Quod interdum tertio die in lassitudine phlegmonosa (in qua aut in thorace, dorso, siue lumbis, aut in capite, & collo, tensio pulsansque dolor fit) faciendum esse docet Galenus, ad reuulsionem, & translationem fluxionis, in suam

suam originem. Ita enim lib. 4. de sanitate tuenda non longe à fine, scriptum reliquit. Quoniam igitur in hac quæ veluti phlegmone fatigat lassitudine, vis calidi sanguinis cõgesta in corporis mole est: venæ autem sectio succos è vasis emittit, utile est post priorem detractionem tantisper intermittere, dum aliquid eorum qui in corpore sunt humores remigret ad venas. Quod tamen quoniam commitendum nõ est, ut in his maneat, utpote ex dimidio corruptum, sed potius plurimum eius expellatur: idcirco detractionem sanguinis etiam secundo die iteramus: aliquando verò et in tertio, ubi videlicet et reuellere, et ex alijs in alia transferre visum est conducere. Quibus verbis constat, quòd per primam sanguinis detractionem, succos è venis emisit Galenus. Per secundam verò, quòd ad easdem venas per priorẽ sanguinis detractionem inanita è corporis mole remigrauit educit. Tertiam verò non semper, sed aliquando adhibet, cum nimirum fluxio non cessat per eiusdem lateris sectiones factas: ex quo fluxionis originem aliunde (ab altero nempe latere, aut ab alio membro) nasci suspicamur. Nam non video quomodo aliter reuellere, et sanguinẽ aliorum transferre in tertia sectione studeret. Quo casu ex altero latere, aut ex vena quæ cum origine societatem, ac propinquitatem habet, detrahendus sanguis est: ubi videlicet fluxionem quæ non restitit per priores sectiones, reuellere, et ex alijs in alia transferre, visum est conducere. Quæ si rectè respondeat coniectura, et sanguine misso fluxio magis auertitur, dolorq; leuari conspicitur: iam coniecturæ metas transgredimur, et scientificam firmamq; cognitionem nacti sumus: quòd è oporteat reuocare humores (quantũvis aut rectitudo, aut communitas desit.) Cum verò fluxionis ignoratur origo, ad partes distatissimas reducimus, nõ quidẽ ad omnes, sed ad eas quæ è directo sunt, et venam habent comunẽ cum venis affectæ partis. Primo, quoniam cum fluxionis origo ignoratur, ad frequentiore originem est recurrendum: quæ in eodem habetur latere. Secundo, quoniam quauis origo prima ignoretur, necessariò et citra ignorantiam aliquam scimus, quòd per propinquas venas coniunctas cum parte affecta fluant humores. Ei ergo fluxioni, vtiliter per sectionem eiusmodi venæ quæ coniunctionem, et rectitudinem seruat, cum venis affectæ partis medebimur. Quòd si plures vna sint venæ coniunctæ è directo sitæ, ea deligenda est, in quam natura magis vergit, aut quia turgidior est, aut quia pars in quam ipsa inseritur, aut sibi proxima, grauior redditur, condoletq; magis parti affectæ. Ob id enim condolet magis, et grauitatem sentit, quoniam per eam magis exonerari studet natura, et eo vergit, ac viam remedio parat, et indicat. Quòd voluit conceptis verbis significare Gal. 2. lib. de ratione victus in morbis acutis, com. 10. in hæc verbis. Pro eorum qui inflammationem pariunt humorũ vergentia, inclinationeq;, vacationes facit Hippocrates. Nempe quòd dicitur, quòd natura vergit per loca conferentia èducere, id verissimum existit. Contingit autem interdum id ob differentiam partium eius quæ costas succingit membranæ. Nempe superiores ipsius partes cum inflammantur, ad humerum, brachiumq;, et mammam, condolen-

tiam extendunt: inferiores verò ad septum transversum, et hypochondrium. Cum igitur superiorum condolentia signum fecerit, venam secare in cubito eam oportet, quæ sanguinem ab affecta parte, et magis, et velocius, tum reuellere, tum vacuare possit. Verum si partibus infernis affectus consenserit, purgatione vacuare expedit. Rectè autem grauitatem circa brachium esse, et non dolorem dixit: nempe quòd hoc in loco sanguis magis aceruetur, repatq;, signum est grauitas quæ ex multitudine fit. Tensiones autem et in sola affectus participatione fieri consueuerunt: cum videlicet partes ipsæ quæ inflammantur attigunt, citra sanguinis redundantiam tenduntur. Sexto etiam libro Aphorism. comment. 22. in doloribus qui ex dorso ad cubitum descendunt, ex cubito in quem vergunt sanguinem detrahit, eumq; locum opportunum tunc esse decernit.

Ætas præterea morbi, venam secundam variat. Si futurus est morbus in parte aliqua, ex distantissimo (ut nuper diximus) sanguis est educendus. Si in partem iam irruit sanguis, et non manet ipse in parte, sed extra ducitur, ut in hæmorrhagiã quauis ex distantissimo etiam oportet vacuare. Quoniam cum non manet in parte, nulla fluxi habetur ratio. Si verò in parte maneat phlegmonem efficiens, habenda ab initio est cura fluxi, fluentis atq; fluxuri. Toto tempore principij, quo pars impletur sanguinolenta substantia, distantior vena secatur: quàm in augmento inflammationis, in quo (ut autor est Galenus, libro de totius morbi temporibus) influxus cessauit. In augmento verò, propinquior vena est cadenda: et adhuc propinquior in statu: in declinatione autem, ex ipsa parte licet detrahere. Clariorisq; doctrinæ gratia in tria tempora particularẽ plenitudinem partimur: Primum cum nondum in parte est plenitudo aliqua insignis, sed aut timetur, aut adeo exigua cœpit fluxio, ut nulla adhuc plenitudinis in parte inditia adsint. Vltimum ubi fluxio cessauit, et humor in particula quam phlegmone prehendit, vehementer est impactus. Medium verò tempus ex ambobus constat: in quo tam fluxio ipsa, quàm quòd fluxum est, negotium faceßit. Primum tempus distantissimum locum requirit, ex Hippoc. 1. lib. de natura humana, sent. 9. et Gal. lib. de sanguinis missione, cap. 19. Vltimum ex ipsa parte affecta vacuari postulat. Medium verò, medium locum postulat, magis aut minus distantem, pro ratione extremi ad quòd accedit magis. Quòd voluit Gal. 13. lib. Methodi in principio, ubi ita scribit. Phlegmones verò quæ in generatione adhuc est, duplex indicatio est, veluti in reliquis morbis omnibus quicunq; in gignendo adhuc sunt, nec dum absolutionem sunt nacti ostendimus. Nam quòd eorum generatum iam est, id medicæ artis parti quæ morbos curat subijcitur: quòd in generatione adhuc est, parti quæ futurum morbum præcauet. Atq; idcirco diximus, non simplicem, sed compositam esse, totam de ipsæ aegritudinibus quæ in generatione adhuc sunt medentis sollicitudinem: ex ea scilicet quæ prouidet, et ea quæ curat. Sicuti etiam si omnino phlegmone laborare adhuc non cœperit, sed tamen appareat iam subesse in corpore genus aliquod eorum quæ phlegmonem excitare possint: in talibus

talibus quoq; omnibus sola prouisio indicatur. Hinc tertio libro simplicit, cap. 16. Galenus, penes tempora inflammationis vario utitur medicamento: in principio merè repercutiente: in declinatione digerente: in medijs verò temporibus composito ex repercutiente & digerente: vincente tamen in augmento adstrictione, & in statu dissolutione. Sed cur si in augmento inflammationis, sanguinis cessauit influxus (vt libro de totius morbi temporibus Galenus est autor) non licebit ex ipsa parte inflāmata sanguinē vacuare, & mero digerente vti? frustra enim fluxionē aut ex distātorī vena misso sanguine, aut repercutiente medicamento imposito, inhibere tētabis si nihil iam fluat. Cui sanè respondendū est, quòd fluxio momētanea cessauit in augmento, non tamen adeo vt nihil influat. Quin ad principium quasi in orbem multotiens redit inflammatio, quæ erat in augmento, & statu, impetu sanguinis de nouo redito concitatorī. Quod in pulmonis vlceribus inflammatis, obtusim contingere docuit Galenus. 5. lib. Methodi. Tanti autem habendus semper est timor, & præuisio ne humor fluat, vt nec in declinatione inflammationis, in qua mera discutientia diximus esse oportuna, liceat nisi rarò (vbi scilicet induratū quidpiam de inflammatione relinquatur) mero vti discutiente: sed misto cum adstringente, ob repercussum obeundum, & partis robur vsq; ad perfectam curationem seruandum. Quod apertis verbis voluit Galenus. 6. lib. de compositione medicamentorū secundum locos. cap. 1. vbi in hunc modum scribit. Quemadmodum enim in principio cōmoda sunt pharmaca id quod influit repellentia: sic post principium vsque ad finem, pharmaco opus est ex vtrisque misto: repellente videlicet, & discutiente facultate prædito. Ac primo quidem tempore adstringens præcellere oportet: ad finem verò discutiens: interposito verò tempore æquales vtrorumq; partes esse conuenit. Quando verò velut induratum quidam de inflammatione relinquatur, penitus non conuenit adstringens, ad discussoriū admiscere *ἢ ἀν κενετώμε τον ειν το σφύμωαν σφύμα* id est, si vacuatum sit totum corpus. Nam si plenum sit, adstringens est miscendum discutienti, quantuncunq; obdurnerit inflammatio: ne plenitudo caloris discutientis vi, ad partem trabatur induratum. Lectio autem Latina, quæ habet nisi prius totū corpus sit euacuatum, falsa est: nā corpore præeuacuato, minus cōuenit adstringens ad discussorium admiscere. Quare is quem diximus, legitimus est Galeni eò loci sensus. Quod sanè etiam in sanguine ex ipsa parte inflāmata vacuando, obseruare oportet: non enim in cuiusuis inflammationis declinatione, cucurbitula, & scarificatione vti debes, ne fortè inflammationem iterum accersas, atq; ad principium reuoces. Et ob id Galenus. 2. lib. ad Glauc. impacto humori, & partē obsidenti, deriuationem consulit: quæ non ex ipsa parte, sed ex proxima exercetur. Quòd ita faciendum esse monemus, aut quotiens fluxio aliqua, ex partis euacuatione reuerti timetur: aut quotiens pars ipsa affecta non permittit secari, siue ob sui nobilitatem vt oculus, siue quia vena caret: in cuius defectu ad proximam confugimus. Cucurbitula autem, & scarificatione, & prorsus discutientibus, tunc tantum

utemur

utemur, cum velut induratum quidam, & dissolutioni renitens, de inflammatione relinquatur, & vniuersum corpus prius est vacuatum. Quo sensu intelligendus est Galenus. 13. Methodi, cum ita scripsit. Sed si sanguis in particula quàm phlegmone prehendit, vehementer est impactus, non est amplius repercutientibus utendum: sed tum digerere est tempestiuum.

Ex sanguinis vacuandi specie, & consistentia, differentes interdum secantur venæ: siquidē mediocris est sanguis, & ex quatuor humoribus æquabiliter cōcreuit, aut sola sanguinea substātia in eo abundat, aut si biliosus sit ac leuis: ex basilica dextra (quæ iecur & sublimes partes commodissimè exhaurit) vtilissimè educitur. Si pituitosus, crassus, ac viscidus, ex poplite: ob humoris grauitatem, & quoniam eò magis vergit, ob partium infernarum naturam pituitosior. Si melancholicus, non inutiliter elicitur ex pede, aut poplite: vtilius verò, ex sinistra basilica, quoniā lienem promptius exhaurit: & quoniam cū succo melancholico desit tenacitas, facilius sursum adducitur, quàm pituita. Ex sinistra quoq; basilica, sanguis vaporosus vtiliter profluit, ac euaporat, vt autor est Auicenna. 11. 3. tract. 1. cap. 6. fortè quoniam sinister cordis venter, vaporosior est. Quibus sanguis tenuis & frigidus coaceruari solet (vt candidissimis quibusdam mulieribus) scarificationes maximè profunt, secta verò vena obest. Contra nigrioribus (quæ crassiorē & magis melancholicum sanguinem congregant) venæ sectiones sunt vtilis: noxiæ verò scarificationes, quoniam sanguinis turbulentiam, & crassitudinem, educere nequeunt: vt libro de sanguinis missione, cap. 11. Galenus est autor.

Virtus quoq; validior, aut imbecillior, hanc aut illam venam deligere facit: nam imbecilla virtus, non tolerat ample venæ sectionem, ob spirituum & calidi innati euaporationem. Hinc sit vt venam iecorariam, dextram, aut sinistram, frequens secet cōmunis medicorum praxis, postquam febres diutius protraxere: quo iam tempore imbecilla facultas, sine discrimine non ferret amplioris venæ quæ in cubito habetur sectionem. In pleuritide præterea, aut cuiusuis partis nobilis inflammatione, si virtus maximè constat, vna sanguinis detractione reuellimus ac euacuamus: si tantum scilicet valeat, vt toleret totius plenitudinis depositionem, & materiæ in parte inflāmata contentæ vacuationem vnà fieri. Ad hanc verò simultaneam euacuationem faciendam, eligimus venam in eodem latere, quæ societatem habeat cum venis quæ nutriunt ipsam partem inflāmatam. Ea enim venā, ex caua, & vniuerso corpore, plenitudinem demit: & societatis ratione, inflāmatam partem priuatim exinanit. Si verò virtus exigua sit cum ingenti plenitudine, illa duo simul nequeunt exequi, sed vnum quodq; seorsum: quare prius oportet reuellere, ex contrario latere paucum sanguine misso: nam multi sanguinis detractionē non tolerat virtus imbecillis. Paucum autem ex eodem latere, cum tanta plenitudine mitti non debere, ob periculum vocandi reliquum sanguinem ad affectum latus, iam diximus. Cobibito verò iam materie cursu, atq; in alterum latus vocato, ex eiusdem lateris



lateris interna vena, quod partem inflammata[m] obsidet, pro ratione virtutis euacuamus.

Aetas quoque, pueritia, & habitus corporis mollis, laxus, & prompta corporis exolutio, ex ampla vena sanguinem mitti impediunt magis. Maius enim in ipsis fit spirituum, et nativi caloris dispendium: quam huiusmodi aetas, aut habitus, ferre queat. Unde laudanda[m] magis sunt in pueris, ac mollibus, scarificationes: quam venarum amplexarum sectiones. Fieri autem possunt scarificationes, sublimes, profundae, aut mediae, pro ratione plenitudinis, & virtutis, ut constat ex Galeno. 2. de arte curatiua ad Glauconem, cap. 7.

De vena ergo tum in singulis morbis, tum in pleuritide, & quauis alia interna inflammatione secanda, satis superque diximus. Quod nimirum eiusdem lateris vena interna, sit ipsis maximè idonea, nisi alia accedant quae aut latus, aut venam peruertere cogant: ut si fluxionis origo aliubi posita sit, aut si ingens plenitudo cum virium imbecillitate iungatur. Ob vires enim imbecillas, integra vacuatio vna fieri nequit. Nam non nisi parcam tolerat virtus, per eam verò plenitudo ad latus affectum necessario inuitabitur. Quid enim sequi putas, ubi virtus tres tantum sanguinis uncias sibi detrabi patitur, aut in corpore admodum pleno, aut ubi fluxionis origo in aduerso est latere: si ex eiusdem lateris vena interna detrabas ipsas non ne vniuersi corporis sanguinem, in venam sectam sibi que coniuges alteras deriuabis? Ego sane aut vena sectioni non inesse vim vocandi ad se, nec reuellendi ab alio: aut necem ad huiusmodi sanguinis detractionem, magna ex parte sequi statuo. Vena ergo interna tum temporis in contrario latere est ferienda, ut fluxio ad suam reuocetur originem, & sursum vniuersi corporis plenitudo deponatur, atque ad fluxionis originem reuocetur. Quod maximè esse faciendum supra diximus, ubi plenitudini, & virium imbecillitati, doloris vehementia non fuerit coniuncta. Sunt ergo omnia inuicem libranda, expendendumque quantam vim habeant indicantia, impediencia, & contraindicantia, ut de hac aut illa vena eligenda deliberes. Nam ubi nihil impedit, ex eiusdem lateris vena interna, ad coloris in sanguine mutationem detrahere conuenit. Ubi verò virtus impedit integram vacuationem vna fieri, aut eadem die semel, aut etiam bis repetere: contrarium latus tondere magis conducit. Doloris vehementia partis indicationem auget, magis enim sedat vena interna secta in eodem latere, quam in contrario. Doloris remissio minorem partis curam poscit, & leui indicatione contraria vincitur. In horum examine laborandum medicis indefesse est: nec enim omnibus vna forma est utilis, sed cuiusque sua: nec facile est in pugna contraindicantium, vnius cuiusque vim rectè aestimare. Quem laborem nostri temporis medici magna ex parte subire recusantes, nihil horum aestimandum memorant: sed internam quocumque euentu eiusdem lateris venam secant, ac si partis indicatio non posset ab alijs euerri: tum ut aliunde ac ipsa poscit secemus, tum etiam ut venam prorsus non tundamus. Quod non sine ingenti studiosorum fructu docuimus.

Quibus

Quibus affectibus, & cur, tantum proffit sectio

Venarum, quas saluatellas vocant.

C A P. X X I X.



Vena sectionem secundum rectum, factam inter minimum digitum & annularè, post sectiones vena interna cubiti, in morbis iecoris & lienis, & in febribus quae protrahuntur, commendat plurimum seculorum experientia: quae in hodiernum usque diem durat. Galenus libro de sanguinis missione, cap. 14. ita scribit. Sic affecto liene, aequè adiuuerit circa medium digitum sinistrae manus incisa vena, atque si internam cubiti secueris. Paulus libro. 6. cap. 40. in fine, haec habet. In sinistra quidem manu cum lien malè habet, venam quae inter paruum, & annularè rem digitum porrigitur, praecipue incidemus: cum iecur affligitur, in dextra. Nam extremarum partium inanitio è longinquo magis facta, efficaciorè molitur reuulsionem. Trallianus verò libro. 8. cap. 10. dum lieni inflammato medetur, ita scribit. Sin autem aetas, aut vires, non prohibeant, venam brachij sinistrae interiores secabis: si ea non appareat, media ferienda est: si ne ipsa quidem in conspectum proueniat, humeraria incidenda est: si nec ipsa quoque conspiciatur, ea quae minimo digito vicina est aperiri debet. Et si verò hinc minus sanguinis euacuetur, tamen quantulacumque inde tentata inanitio, praecipuum lieni ad sanitatem adiumentum est. Quibus conuincitur, errare eos, & aduersus experimentum pugnare, qui harum venarum sectiones improbat: quique ob id iuuare tradit, quod cum medici parci fuerint in detrahendo sanguinem ex cubito, postea ex manu in calidam mersa copiosius detrahunt. Quod autem (inquiunt) in quantitate aut occasione est, non debet adscribi vena scissioni. Contra verò Trallianus statuit, quod etiam si ex his venis minus sanguinis euacuetur, quantulacumque inde tentata inanitio, praecipuum ad sanitatem adiumentum affert. Paulus etià non ad quantitatem, sed ad maiorem reuulsionem refert. Nec valet si inistes, quod ob maiorem reuulsionem, initio potius quam fine morborum, debuissent huiusmodi sectiones adhiberi, & adiumentum afferre. Non valet (inquam) nam vena ea, exigua est ad vberem atque copiosum sanguinem effundendum: quare ex venis cubiti prius est vniuersum corpus vacuandum, & inanandum: eo enim vacuato, natura deonerata potens redditur, in manum quod residuum humoris est transmittere, à reuulsorio remedio (sectione nempe saluatellae) inuitata. Primo, quoniam natura exonerata, quod residuum est facilius debellabit, inque partem corporis extremam, & longè distantem transmittet. Secundo, quoniam ut in visceribus viget coëtrix, ita in extremis vis attratrix vigeat par est: nutrienda enim sunt extrema, ex alimèto è longinquo attrahendo. Si ergo extremae partes vena secta inaniantur, potentius attrahent: & iecur atque lien iam exonerata, ad ipsas quod sibi prauum humoris residuum est, transmittere studebunt. Quae transmissio tanto utilior est

LI futura,

futura, quanto in longinquiores partes humorem abducit, ut Paulus notauit. Per venas praesertim quae cum dictis visceribus communitatem habent: ex interna enim saluatella deducuntur, quae ramulum etiam, atque progerminationem, ex communi acceperunt: Valesius vero postquam in secunda editione controuersiarum, lib. 7. cap. 5. palinodiam recitauit, aliam rationem inuexit: quod scilicet manus dextra est emunctoria iocinoris, sicut sinistra lienis: est autem (inquit) valde naturale praecipua membra in sua exonerari emunctoria. Sed fallitur aperte, quoniam tria tantum praecipua membra dicuntur habere emunctoria: lien vero praecipuum non est. Secundo, quoniam duo sunt quae in emunctorijs natura requirit: Primum est ignobilitas, ne actio aliqua praecipua laedatur: ob idque natura ex adenibus mollibus, ac laxis, fabricavit ipsa. Alterum vero propinquitas ad mebrum princeps cuius emunctorium est: ob idque cerebri emunctorium, retro aures: cordis, ad axillas: iecoris, ad inguina situm est. Manus autem longe a iecore distat: et nobilissima quaedam pars est: organum scilicet organorum apud Aristotelem, et Galenum. 1. lib. de usu part. Fallitur ergo dum emunctorium viscerum ipsam appellat. Tertio, quoniam emunctoria humori excipiendo, et in sui substantiam admittendo, valde seruiunt: non autem vacuando. Vnde nemo emunctoria phlebotomat: sed cucurbitulis, et calidis pharmacis humorem ad ipsa attrahit. Morsus autem vacuationi magis seruit per venam sectam, minimè autem attractioni humoris ad ipsam: ergo emunctorium non est. Dubium tamen est, quod Galenus, eiusmodi venarum sectiones parvipendere videtur. 3. lib. de Anatom. administr. in haec verba. Altera parte mediam digiti medij, et annularis regionem ingreditur. quam venam nonnulli in sinistra manu secantes, sumentesque sanguinem ex ea fluere quousque vltro sistatur, lienem ex tali euacuatione inuari asserunt. Et libro de sang. miss. cap. 13. ita scribit. Vt ex ijs quae ad magnos oculorum angulos, aut sublingua sunt, nihil solet effluere mentione dignum: ut neque si quis in pedibus, aut summis manibus venam secet. Quemadmodum qui lienem curari putant, ad secundum minorem digiti secta vena. E quibus verbis valde subit mirari, cur tam exigua vim harum venarum sectioni tribuat Galenus: cum experimentum tum nostrum, tum etiam medicorum Galeno antiquiorum (quos ipse refert) praecipuum inuamētum asserre monstrat: praesertim sectio saluatellae sinistrae ad alienum affectum: cuius solius meminerunt Trallianus, et Galenus, libro de sanguinis missione, et de anatomicis administrationibus: quamque fieri precepit Aëtius serm. 3. primi tetrabib. cap. 22. quo loco (etsi venas quae secari debent percenseat omnes) dextrae saluatellae non meminit. Cui tamen dubio dicendum primo est, quod primae sectiones (per quas demenda est vniuersi corporis plenitudo) ex venis cubiti fieri debent: non autem ex saluatellis, quae exiguae venae sunt, et non tantum sanguinis quantum oportet possunt haurire. Vltimè vero, ex saluatellis sunt vtilissima: tum quoniam validior inde fit attractio: tum etiam quoniam in extrema magis curat viscera exonerari se ipsa. Sicque Galeni locus, cap. 14. libri de sanguinis missione, ubi sectioni saluatellae plurimum tribuit,

tribuit, intelligendus est de vltima huiusmodi venae sectione: de prima vero cum corpus praevacuatum est, intelligatur locus è cap. 13. eiusdem libri, et è 3. lib. anatomicarum administrationum. Dicendum secundo, modum secandi huiusmodi venas in balneo, Galeno, et reliquis fortè Graecis, fuisse inusitatum. Primo, quoniam Galenus exiguum sanguinis has venas profundere fuit ratus: perinde ac venae quae in angulis oculorum habentur, et venae sublingua sitae: quod tamè minimè verum esse potest, cum in balneo mergitur manus. Secundo, quoniam perinde improbat exiguitatem venarum quae in summis pedibus, ac earum quae in summis manibus habentur, libro de sang. miss. cap. 13. Gal. Venae autem pedum cum in balneo secantur, copiosum sanguinem profundunt. Ergo tam in manibus, quam in pedibus, balnei usum omisit. Tertio, quoniam fluere permittit sanguinem ex his venis, quousque vltro sistatur: in balneo vero prius deficiet anima quam sisti possit. Quarto, nam Paulus lib. 6. cap. 40. modum sectionis omnium venarum docens, balnei non meminit. Quin cum de manuum, ac pedum sectione agit, solius frictionis, et incessus, et vinculi, meminit in haec verba. Quae externas corporis partes intercurrunt, superiacentibus vinculo exceptis, et manuum frictione, et pedum incessu repletæ, diuidentur. In sinistra quidem manu cum lien malè habet, venam quae inter paruum et annularem digitum porrigitur, praecipue incidemus: cum iecur affligitur, in dextra. Ob id nos tum Pauli, Aëtij, Alexandri, et Galeno antiquiorum experimento freti: tum diutina nostra experientia, simul et dictis rationibus fidentes: post primas sanguinis detractiones, saluatellas secamus è directo affecti visceris iacetes. In febribus etiam quae producuntur, quum venae sectionibus ex cubito, pharmacisque expurgantibus non cesserunt: saluatellam dextram secamus, et interdum iteramus, etiam si nec iecur doleat, nec ardeat: et mirum est quantum febris ex ea sectione sedetur: quoniam scilicet in febribus humoralibus, humorum originem vacuasse, et refrigerasse praestat. Quare Valesius, et Columbus in sua anatome, dum istarum venarum sectionem reprehendunt, recipiendi non sunt.

## De arteriarum quarundam sectione.

CAP. XXX.



**S**I morbus interdum ex sanguine tenui, calidissimo, spirituosissimo, atque flatulento (qualis is est qui in arterijs continetur) nascatur: sectione potius arteriae quam venae debet curari. Talis enim humor, qualis est qui morbum parit, huiusmodi arteriotomia vacuatur. Quod voluit Gal. lib. de sang. miss. cap. vlt. in haec verba. Vbi enim calidus spirituosusque, infestus sanguis in arterijs acervatus: illic communibus parti affectae sectis arterijs est opus. Huius autem arteriotomiae loco, venae sectione in qua strictum foramen infligitur, ut per ipsum tenuis tantum sanguis possit exolari, vtilissimè vtimur. Primo, quoniam securius est putridam

materiam, ab arterijs ad Venas ignobiliores trahere, quod per Venæ sectionem fit: quā a Venis in arterias, quod arteriarū sectione contingit. Secundo, quoniam putrida materia magis reperitur in Venis, quā in arterijs: tū ob sanguinis arterialis siccitatem, & puritatem maiorem: tum ob innatum calidum cordis & spiritū, quod putredinem magis arcet. Tertio, quoniam sectio Venarum minus imbecillitat: plurimum verò quæ ex arteria fit, ob spirituum profusionem. Quarto, quoniam vena citissimè coalescit, arteria verò ob sui duritiem, ob motum, & ob sanguinem salientem, vnitur difficillimè. Et sæpenumero mors subsequuta est ex arteria non solidata, aut aneurysma. Id quod Galenus monuit, libro de sanguinis missione, capite ultimo, vbi post verba citata subdit. Verum propter difficilem fluxus arteriæ compressionem, arterias medici incidere metuant: quippe cum si quis in secunda fortè vena, arteriam vulnerat, agrè statim sanguinis eruptionem compestat: ac vbi res optimè cadat, ad cicatricem per ducta diuisione: tamen aneurysma existat. Quin & interisse quosdam noui, ab arteria interiori in cubito Venæ subiecta. Nonnullos autem protinus ob vinculam circumpositum (volentibus medicis sistere sanguinis fluxum) in gangrænam incidisse. Alios postea in aneurysmate manu curando defunctos. Ob id sanè Auicenna. 4. 1. cap. 20. huius sectionis periculum extollens: Et suarum (inquit) dispositionum minor est, quod ex ea prouenit aneurysma: & hoc quidem est cū fissura fuerit vehemèter angusta. Hæc attamè nos ab arteriarū sectione nō deterrēt, sed magis cautos reddūt: nā & ex Venis etiam sectis, tū aneurysmata, tū etiā alia infortunia, interdū sequi assolent, si improvidi simus: quāuis semper minus quā ex arterijs, vt ad finem libri de sanguinis missione, scribit Galenus. Si morbus præterea ex tenui, & spirituofo sanguine ortus, per sanguinis è Venis vicarias detractiones non sedatur, sed contumax est, & refractarius: cur non anceps potius in eius medella, experiemur præsidium quā nullum? Siquidem arteriæ natura (vt scribit Galenus, 5. libro Methodi) difficultatē quidē durioris tunice sue conglutinadæ prorsus indicat: non tū eiusmodi quæ eninci omnino ne queat. Neq; enim ita est sicca, durāq; vt os, vel cartilago, imò longè his mollior, ac magis carnosā. Quò vtiq; minus de vnienda sectione eius sit desperandum, vbi tam ipsa sit parua, tum hominis corpus natura molle. Et Paulo supra, historiā iuuenis cui arteria Venæ internæ gibberi substrata, errore chirurgi fuit secta, & citra aneurysma coalita, recēsuit in hæc verba. Vidimus enim in mulieribus & pueris, tū cōglutinatas arterias, tum carne vndiq; circumdatas: idq; in fronte, malleolo, & ~~naſo~~ id est, articulo brachij, summæque manus medio. Simile quiddam aliquando & aggressi contigit iuueni, dum sanguinem sibi mittendum veris tempore curaret, quod nostratibus maximè est in vsu. Cum enim medicus qui Venam incisurus erat, brachium hominis deligasset, contigit attolli velut in gibbum arteria: itaq; hanc pro vena medicus diuisit. Exigua sanè incisio erat, sanguis autem flans, & tenuis, & seruidus, statim eiaculabatur, idque cum quodam veluti saltu. Ac medicus quidem, vt erat

admo-

admodum iuuenis, & operum artis parum peritus, Venam se incidisse putabat. Ego verò cum quodam alio ex ijs qui aderant medicis, vtiq; seniore, vbi quod accidit aduertit: preparato ex emplastrorum genere, quod sanguinem supprimit medicamento: tum incisionem curiosè coniunxi, tum super medicamen illico imposui, ac spongiam mollissimam extrinsecus super hoc deligavi. Mirante verò qui arteriam inciderat, insolitam nostram in hoc casu prouidentiam: indicauimus homini rem factam (sed postea quādam incisi hominis diuersorium exiissemus) iussimusq; ne vel solueret nobis absentibus, vel ante quartum diem id aggrediretur: sed ita vt erat deligatum haberet, spongiam duntaxat desuper madefaciens. Postea verò quā in quarto soluentes, planè conglutinatam incisuram inuenimus: rursus idem medicamentum imponere iussimus, tum simili modo deligare, nec multis postea diebus soluere. Atq; ita percurata est huius hominis incisa arteria, sola omnium quas in cubito incisas vidi. Nam in reliquis omnibus aneurysma, alijs maius, alijs minus superuenit. Hæc Galenus. Cui per similem historiā nos narrare possemus. Dum enim admodū illustris domini Ioannis à Corduba Cordubensis ecclesiæ decano, Venæ sectioni interesset: arteria ipsi pro vena fuit secta vulnere satis patente. Quod vbi ex vehementi, & ad longinquum facta eiaculatione, ex saltu, ex pulsu, & ex sanguinis colore dignouimus: illico sanguinem cohiberi, vulnus curiosè coniungi, puluerē restrictiuum oui albumini permistum admoueri, strictim ligari, & quietissimè vsque ad diem quartam brachium lecto accumbentem contineri iussimus. Qua diligentia adbibita (nulloq; in victus ratione moment. meo errore admissio) sine aneurysmate solus fuit sequuta. Huius etiam curationis à Galeno factæ, pariter & alterius cui ex vulnere in malleolo accepto, arteria fuit tusa, meminit is ipse ad finem libri de sanguinis missione, in hæc verba. Porro alteri cui ex vulnere in malleolo inflicto dissecta arteria fuerat: sanguinis quidem cursus haud quieuit, donec ego vocatus totam dissecui, ac medicamento ex aloë, & manna, & ouorum albumine, pillis leporum molliusculis imposito, fuissem vsus: citraq; aneurysma curatum est vulnus, obducta scilicet arteriæ osculo carne. Vir autem ille (quartum iam annum, exiguis temporum interualis, coxæ dolore vexatus) ex inde prorsum sanus extitit. Quibus verbis, constat primo, quod sectiones arteriarum, tam brachij quā malleoli (si vt decent tractentur) solidantur, ac reuiniuntur. Secundo, quod magnam afferunt utilitatem in morbis difficillimis: vt hic contigit in ischiade periodica quatuor annorum. Tertio infert Galenus, quod si minores arteriæ secantur, difficillimi morbi ab spirituofo sanguine nati sanari quibunt, sine periculo aut mortis, aut gangrænae, aut aneurysmatis. Sic somnio admonitus Galenus, arteriam quæ inter pollicem & indicem dextræ manus est, feliciter secuit in dolore diuturno, ea parte qua iecur committitur septo transuerso affixo. Quo etiam in somnio monitus minister Dei pergami, ex diutino lateris dolore conualuit. Galeni verba sunt quæ sequuntur. Sanè verò quæ mihi occasio extiterit secundæ arteriæ, nunc iam edisseram. Monitus per quædam insomnia,

Ll 3 quorum



quorum duo perspicuo mihi visa sunt, accessi ad dextræ manus arteriam, inter indi-  
 cem & pollicem sita, sicut fluere donec sponte sanguis resisteret, nam ita somnium  
 præceperat. Effluxit autem non tota libra. Subito itaque diurnus extinetus do-  
 lor est in illa maxime parte fixus, quæ iecur septo transuerso committitur. Mibi  
 quidem hoc ætate iuuenili euenit. At minister Dei pergamini, diurno lateris cru-  
 ciatu laborans, liberatus est arteria in summa manu incisa: aggressus & ipse illud  
 insomnij monitu. Hinc Auicenna, quarta primi, capite vigesimo, ita scribit. Arte-  
 ria verò manus dextræ quæ phlebotomatur, est arteria quæ inter pollicem existit  
 & indicem: & eius quidem iuuamentum in antiquis doloribus hepatis & diaphrag-  
 matis est mirabile. Et Galenus quidem iam vidit hoc in somnis, præcipiebat enim  
 homini hanc facere phlebotomiam, causa doloris quem in hepate habebat: qui eam fe-  
 cit, & sanus effectus est. Et subdit. Plerumque etiam phlebotomatur alia arteria,  
 quæ ad interiorem partem palmæ declinior hac existit: cuius iuuamentum est pro-  
 pinquum iuuamento istius. Quibus verbis patet, duas in manu extrema utilissi-  
 mæ, ac securissimæ, ad quosdam morbos arterias secari posse: vnam inter pollicem  
 atque indicem: alteram vero propè palmam manus sitam. Rarius præterea, deci-  
 mo quinto lib. continentis, cap. ultimo, in omni dolore pulsatile, arteriam incidi debe-  
 re docet. Dolorem autem ab initio debere esse pulsatilem, commodè interpretatur  
 Cardanus, lib. de malo medendi usu, cap. 71. Nam aucta iam inflammatione (ob arte-  
 rias cōpressas) omnis ferè inflammationis dolor reddi potest pulsatile, etiam si per  
 venas & non per arterias irruat humor. Omnem etiam dolorem pulsatilem, sine fe-  
 bre debere esse, perhibet: saltem putrida, nam cum ephemera aliquando coniugitur.  
 Putrida autem (apud ipsum) esse nequit, fortè ob euentationem arteriarum, quæ pu-  
 tredinem inhibet: & quoniam arteriæ obstructione non laborant, quæ putredini est  
 necessaria. Dubia tamen sunt. Primum, cur harum magis quàm aliarum arte-  
 riarum sectiones, vtilis sint morbis memoratis? Secundum, si dicti morbi diutini  
 sunt, quomodo ex calido, tenui, ac spirituofo sanguine nasci possunt? Tertium,  
 Nam insomnijs nec est credendum, nec Galenus vllam ipsis adhibuisse fidem, con-  
 stat ex eodè, tertio libro Methodi nō longè ab initio, vbi aduersus eos qui non aliter  
 quàm per experientiam medendi rationes innotuisse autumabant edisserens, ita scri-  
 bit. Dicat itaque mihi, hæc quomodo sint inuenta. Et quid (inquit) attinet de in-  
 uentione eorum quærere, ac non rectè potius inuentis vti? Atque hæc quidem ini-  
 tio statim respondet: post verò interim ex somnijs inuenta esse potuisse talia dicunt:  
 interim sorte quapiam aliud fuisse in aliud effusum: mox aliquem vti misto ansim.  
 Ceterum audaciæ eius spem non dicunt. Hæc igitur manifestæ sunt nugæ. Qui-  
 bus verbis, insomnijs ipsum non credere constat: vt quid igitur fidem adhibuit in-  
 somnio, de arteria in doloribus eius partis, in qua iecur septo transuerso committi-  
 tur facienda? tamq̃ fuit audax, in huiusce arterialis sanguinis profusione, vt donec  
 vltro resisteretur effluere fuerit? Quibus tamen respondemus, quòd sicut vena in-  
 terna

terna dextra vtiliter secatur in affectibus iecoris, & septi transuersi sibi resistan-  
 dentis: ita arteria sibi subiecta & coniux, vbi per arterias sit humorum ad eas par-  
 tes confluxus, vtilissimè deberet in gibbero secari, nisi periculum adesset interius,  
 aneurysmatis, & gangrenæ. Hæc tamen discrimina auertimus, ramos ab hac arte-  
 ria, ad manus summitatem, aut prope palmam secantes. Ad secundum verò dicendum,  
 quòd ex calido, tenui, flatulento, atque arteriali sanguine, diutinus dolor gigni po-  
 test ob diuinam fluxionem, quæ tamen cessat aut reuulsione ex arterijs commodè  
 facta, aut ipsis arterijs prorsus in itinere rescissis, ne fluxioni deinceps pateat adi-  
 tus. Sic tertio lib. de locis affectis, cap. 8. vertiginosis quibus vaporosus calidusq̃  
 spiritus per externas arterias ascendit, medetur totius arteriæ ponè aures adeo pro-  
 funda sectione, vt medius inter duas partes locus cicatrice inducatur. Cuius sectio-  
 nis administrandæ rationem, docuit Paulus libro sexto, capite quarto: Sic in hemi-  
 cranæa, & ophthalmiâ difficili, arterias quæ in temporibus sunt turgidiores, aut se-  
 camus, aut prorsus præcidimus. Cuius præcisionis rationem, docuit Paulus, libro sex-  
 to, cap. 5. Sic etiam in alijs affectibus, præcisione arteriarum hyposthethismo, scilicet  
 & periscyphismo vtimur: quorū administrandi rationem capitibus sexto & septimo;  
 idem docuit Paulus. Ad tertium autem dicendum est, quòd Galenus non credit  
 soli insomnio: sed rationem vltra insomniū addidit ex confluxu sanguinis spiritualis  
 per arterias, qui commodius arteriotomia, quàm phlebotomia venit auertendus.

### Quomodo fluat sanguis secta vena. Et quod

rectitudo non sit penes fibras attendenda.

CAP. XXXI.



**M**ODVM quo effluit sanguis, vena secta quærunt nostri: & dñ  
 se se conficere student, plura fortè quam expediat, tractant, &  
 altercantur. Nobis sanè res, ad hunc modum videtur habere. Sā-  
 guis qui intra venas continetur fluxilis est; & nisi denso corpore  
 venæ contineretur, suapte sponte efflueret. Hinc factò orificio,  
 in venæ sectione effluit non alia ratione quàm ex natura liquidæ,  
 quod termino alieno, nō autè proprio, cupit terminari. Nec potis est cōtinēs venarū  
 facultas quæ transuersis fibris operatur, inhibere quin patentè foramine defluat.  
 Effluit autem primo qui propè venam sectam habetur. Post eum succedit, is qui  
 iunctus illi cōtinuusq̃ est: nec cessat plerunq̃ effluxio, donec vniuersum corpus red-  
 datur exangue. Primo, quoniam sanguis optat suarum partū continuitatē seruare;  
 etiam citra vacui vitæ rationem: vt apparet in aqua, cuius vna pars in plano capit  
 effundi, quæ effluit consequuntione vniuersa. Et dū craterā aqua, aut vino implet,  
 manifestò videbis plus aquæ in ipsa contineri, quàm capiat eius cavitatis: extube-  
 rat enim aqua vltra crateræ supercilia elatius. Quo tempore si aqua guttā addas,  
 Ll 4 effundat

effundes non modo guttam quam addidisti, sed quidquid antea extuberabat. Quin crateram si diligenter postea contempleris, reperies non prorsus plenam manere: quod nimirum ne continuitatem perderet aqua, supercilia crateræ fuerit transgressa, & cum liquida aqua sibi continua effluerit. Quæ forte ratio est, quare mare terminum suum non transgrediatur: nam hinc inde effusum, suam amitteret continuitatem. Accedit in sanguinis effluxione, ratio vacui vitandi: vitatur autem facilius successione sanguinis, quam submissione venæ ex qua profluit. Quanquam enim utraque ratione vitari posset, facilius tamen fuit sanguinem sibi succedere: quam venæ tunicam in propriam cavitatem concidere. Nam ad replendum vacuum, citius succedunt rara quam densa, mollia quam dura, fluxilia quam solida, propinqua quam distantia. Sanguis verò est propinquior, utpote sibi ipsi continuus: est etiã rarior, mollior, leuior, & fluxibilior: multò ergo facilius sibi succedet, quam ipsius venæ corpus: quod licet sanguinem in se contineat, est tamen ipsi attiguum, non continuum: estque sanguine ipso densius, durius, grauius, atque solidius. Si verò fortè fortuna reliquarum venarum sanguis non succedat, aut quia crassus & viscidus, aut quia præ animi deliquio refrigeratur & crassescit, aut quia nostri corporis mēbra auidius retinēt ipsum: tūc venas in se concidere par est, ut nimirum altera ratione vitetur vacuum. Quod toties contingere videmus, quoties sanguis suapte sponte supprimitur: nec enim rarus est casus. Accedunt quoque & aliæ rationes, quæ sanguinis exitum iuuant, & cum maiori impetu prodire faciant: scilicet frictio, balneum, vinculum, & dolor ex vulnerando illatus, quæ sanguinem ad partem alliciunt: expultrix quoque facultas, quæ interdum ad venam sectam vitiatum sanguinem expellit, perinde atque in iudicijs, ad nares, utrum, & an venas, solet transmittere. Quod verò quidam, partem vulneri propinquam primo exinaniri: & inuentionis ratione, è longinquis sanguinē per fibras rectas quæ tractioni seruiunt, prolicere fantur: mirabilia potius quam vera narrant. Primo, quoniam si sanguis suam semper seruauit continuitatē, nunquā pars secta, nec ei proxima fuit exinanita. Secundo, nam exigua venæ pars, nec tantum trahere sanguinē, nec tã celeriter ipsum posset allicere ac vena secta fluit: mirum enim esset partē minimā venæ, tãta pollere trahēdi vi, ut ex vniuerso corpore totū sanguinē trāsunderet. Et cū per venæ sectionē, viscera & præcipua membra exinaniantur, qui fieri potest, ut non possint tractioni venæ quæ est in brachia resistere? viscera nanq̄ exinanita, multò vehementius trahent, quam vena externa. In fluxu præterea ex nare dextra, per quē iocinoris inflammatio indicatur, non eredo à rectis fibris narium exinanitis, sanguinem è iecore, & vltioribus venis, trahi suspicaueris: nō enim nares trahūt ad se, sed iecur rectā expellit. Nec ergo in venis quæ scalpello secantur, verè id statues: nam parum refert siue à natura, siue ab arte foramen fiat. Nullā me hercle dum rem hęc attentius contemplor, rectarum fibrarum, aut inuentionem, aut attractionem, in sanguinis exitu agnosco: sed si quid-

piam

piam fibræ faciunt, id non recte, sed transuersæ, quæ expultrix facultatis sunt instrumenta efficiunt.

At dices, si fibræ oblongis (quæ attractricis venarum sunt instrumenta) sanguinis exitus nō fit: vnde est quod natura in bonis iudicijs, rectitudinem eam fibrarū semper seruet? Si quando verò aut natura, aut medicus rectitudinem spreuerit, aut obest, aut prodest parum & tardè, sic facta vacuatio? Galenus quidē lib. de sang. mis. cap. 15. & 16. ita scribit. Si igitur quæcumq̄ à medicis, de hoc cōsilio dicta sunt, scribere velē, libro mihi opus esset magno, & per se perfecto. Quemadmodum verò in alijs quæ hucusq̄ definita sunt, meam vobis sententiam exposui, qui eam in artis operibus probari compeexistis: ita nunc quoq̄, faciã, initio sermonis ab his quæ quotidie in laborantibus manifestè videntur sumpto: quæ primus Hippocrates diligēter obseruans scripsit. Est verò eorum vnum & primū caput, quæcumq̄ sanguinis eruptiones fieri solent, maximam egrotantibus commoditatem afferre. Quod verò appellat secundum rectum, omnibus confessum est: quod ipse manifestè hac voce sepe numero in hoc vtatur significato. Quæ verò cōtra sanguinē excernunt, nihil iuuare, aut etiã nocere: quod scilicet interdū citra mali leuamen, vires exoluant. Neq̄ enim liene magno existente, è dextra nare sanguis erumpens, neq̄ in iecore è sinistra, vllam adfert vtilitatem: sed reuulsio quidem quæ in rectum fit, manifestam vtilitatē celeriter ostendit: in quibus autē contra accidit nequaquā. Dextra igitur nare sanguinē effundēte, ad dextrum hypochondrium affixa cucurbitula, sanguinis eruptionem clarè celeriterq̄ sistit: perinde atq̄ ad sinistram, sanguinem excernente sinistra. Porro si in eruptionibus sanguinis, quæ secundum rectum fiunt, reuulsionis gratia sanguinem mittas, mox conspicuam videbis vtilitatem: at si contra venam feces, nullū sequetur cōmodum. Sic itaq̄ liene laborante, incisio eius venæ quæ ad annularē est digitorum sinistrae manus, iuuat æque ac si internam quæ in gibbero est secueris. Siquidem multum iuuat lienem malè affectum sanguinis ex sinistra manu vacuatio. Et paulo post. Quin etiam pleuriticis, id est quæ è directo laborantis lateris facta est venæ sectio, euidentissimam sepe vtilitatem ostendit: quæ verò ex manu contraria, aut omnino obscuram, aut longo post tempore. Et paulo inferius, tam perspicuam aliquando celeriter vtilitatem, quæ in rectum sunt laborantiū partium venæ sectiones afferunt, ut & qui laborāt, & familiares ipsorū sepe numero obstupescant. Tertio lib. Crisiū, cap. vlt. ita scribit Gal. Dextra hypochondria, ex dextra nare bonam indicationem afferunt: sinistra vero, ex sinistra. Quinto lib. Meth. cap. 3. Cum è naribus sanguis erumpit, eum retinēt, magnæ hypochondrijs defixæ cucurbitulæ. Infigendæ autem sunt, si ex dextra nare profluit, super iocinore: si ex sinistra, super liene: si ab vtraq̄ nare super vtroq̄ sunt imponendæ viscere. Quod si resolutus adhuc æger non sit, etiam vena in gibbero incidenda est, qui profusioni è directo respondet. Libro. 2. de arte curatiua ad Glanconem;

Ll 5 capite

capite secundo. Et siquidem in parte dextra locorum passio fuerit, à dextra nare, aut crure, detraxeris sanguinem: si verò in sinistra, à membris quæ illi è directo sunt. Quod enim ab ipso Hippocrate κατ' ἴσιν dicitur, hoc ipsum est κατ' ἰσοτήτα idest secundam rectitudinem. Abscessus quoque secundum rectitudinem fiunt: hepar distentum in dextrum inguen, lien verò in sinistrum excrementa deponit: sexto libro Epidemiarum, parte secunda, commentario decimosextimo. Et eodem libro, commentario duodecimo, dixerat secundum rectum fieri costarum dolores, hypochondriorum contentiones, lienis elationes, ex naribus eruptiones, aurium, & oculorum mala. Et Galenus in commentario docet, quod hæ partes, quemadmodum & alia membra omnia, secundum rectum mala accipiunt, & secundum rectum à malis se expediunt. Interdum enim ex se ipsis, in alias quasdam partes materias secundum rectum regionem propellant: interdum verò ab alijs membris patientibus recta in aures, aut oculos humores transmittunt. Pars corporis dextra calidior est & validior, testis dexter, & dextra uteri pars, calidior est sinistris, & masculorum satrix: decimoquarto libro de Usu partium, capite septimo, & sexto libro Epidemiarum, parte secunda, commentario quadragesimoquarto, autore Galeno. Cuius tamen aucti caloris causa, præter rectitudinem nulla est: vasorum namque communicatio par est utrisq;. Vbi hepar valde ad calidum labitur, dextra manus pesq; ulceratur, ardet, & exasperantur: si lien sinistra. Cuius etiam euentus, præter rectitudinem ratio nulla reddi nequit: tum quoniam æqualia vasa utriq; lateri impartuntur, tum etiam quoniam nullam ad sinistrum latus venam mittit lien, nisi per hepar. Quod verò Galenus, tertio libro de fracturis, commentario decimo, κατ' ἴσιν aliquando per longitudinem, aliquando verò per latitudinem corporis interpretetur, ad fasciarum circumvolutiones pertinet, non autem ad reuulsiones, & euacuationes, quæ secundum longitudinem semper, tum à natura, tum ab arte fiunt. Huius tam stabilis cursus per rectum, tam perpetuusq; humorum directæ dispensationis, causam aliquam haberi, difsitebitur nemo. Quam verò aliam statuunt, præter rectarum fibrarum perpetuum cursum (ut nimirum earum ope, ad partem sectam, & primo exinanitam, trabatur sanguis) non videt Vesalius, Curtius, Fuchsius, Fernelius, atq; alij. Quin & fibris nihil agentibus, quò casu nihil venæ trahunt: humores tamen (inquiunt) sponte sua recto fibrarum cursu defluent. In his autem tradendis peccant multipliciter. Primo, quoniam (ut diximus & penè demonstraui) sanguinis exitus potius est referendus naturæ liquidæ: successioni vacuæ: continuitatis seruandæ appetitioni: & transuersis fibris expellentibus: quàm rectis trabentibus. Secundo, quoniam apertè falsum est quod inquiunt: quòd si nihil traherent venæ, sanguis tamen sponte sua recto fibrarum cursu deflueret: ut in tabula tersa & polita, in qua aqua quæ effunditur, rectarum fibrarum ordine facile fluit: transuersim verò contra fibrarum ordinem, difficile duci constat. Quod apertè falsum esse monstratur, tum quoniam vena caua, vndique habet oblongos villos, per vniuersum sui circuitum

circuitum sibi attiguos: quid igitur obstat, quominus sanguis tam per sinistram, quàm dextræ partis villos feratur? tum etiam quoniam fibris nihil agentibus, non minus duci poterit sanguis obliquè, per fibras obliquas, & transuersim per transuersas, quàm recta per oblongas. Non enim ut tabula tersa quam pingunt, vno fibrarum ordine vena constat, sed triplici nuper memorato. Tertio, quoniam iecur venarum radix est, ab eo quæ omnes venarum exoriuntur fibræ, parem ergo rectitudinem habebit cum utroq; latere: nec iecore inflammato intererit magis, dextram aut sinistram basilicam tundere. Quod tamen quantum absurdissimum, & ab omnium autorum lectione sit alienum, non deest hodie Ludouicus quidam Collado (alioqui me iudice doctus) qui in Isagoge ad faciendam medicinam, cap. 23. ita scribat. Porro si iecur inflammatione afficiatur, utram brachij secus venam internam, dextram, aut sinistram non refert: ambæ enim par cum iecore consortium sortiuntur. At videat obsecro, quòd natura non per sinistram narem, iocinoris inflammationem, vtiliter solita est iudicare: sed per dextram. Quod euidentissimum rectitudinis à medico seruandæ est inditium. Nec aliunde eam rectitudinem nouit Galenus, libro de sanguinis missione, cap. 15. & 16. citatis. Quare nolim in exercenda medicina, contra veterum sententias, tam audaces esse nostrates: nam facile est cuius, deceptoris ratione deludi. Quarto, nam cum rectitudinis retro ante permulta secula animaduersæ, causam dicti autores inquirunt: rectitudinem ipsam peruertere coguntur, ne suas fibras deserant. Nam in pleuritide octo inferiorum costarum, siue dextræ, siue sinistræ sit, sanguinem semper mittunt ex dextro. Quoniam à dextræ parte venæ caue, postquam ipsa cor est transgressa, oritur vena sine coniuge: quæ utriusq; dextris costis & sinistris venas transmittit, à quibus alimentum capeffant. Iste ergo venæ, tam dextræ quàm sinistræ, cum ex dextræ caue parte originem ducant: ordinem & connexum cum fibris dextræ partis perpetuum seruabunt: nec poterunt (inquiunt) exinaniri, nisi in dextro brachio vena secta, per easdem fibras fiat attractio. Vena enim quæ in sinistro brachio est, nullam societatem habet, nulloque oblongorum filamentorum ordine connectitur, cum venis alentibus octo costas inferiores. Nam fibræ vniuersæ, in propaginibus quæ exoriuntur à sinistra parte venæ caue absumentur: nec ullam apud ipsos societatem, aut communitatem habent cum venis quæ exoriuntur à parte dextræ. Quo certè discursu, rectitudinem in pleuritide, ab Hippocrate & Galeno animaduersam, secundo de victu acutorum, commentario decimo: & quarto eiusdem, commentario septuagesimo tertio violant: ab vnoq; ad alterum latus transcendunt. At oporteret ipsas, experimentum suæ rationi addere, quòd scilicet pleuritides octo inferiorum costarum, per narem dextram soleat natura iudicare. Quod cum minimè verum sit (per rectum enim fiunt & soluantur laterum dolores, & aliarum etiam partium inflammationes, ut ex Hippocrate atque Galeno, sexto libro Epidem. part. 2. commentarijs duodecimo, & decimo septimo attulimus) merito rectitudinem hos viros non attigisse putamus.

Quinto;



Quinto, nam fibræ venæ caue in iecoris gibbo terminantur, vbi in minutissimas venulas per gibbum ipsum sparsas finiuntur. Ergo rectitudo concani iecoris inflāmati, & omnium partium quæ à propaginibus portæ nutriuntur, per fibras rectas, attendi nequit. Sexto, nam manu laborante crura iubet scarificare Galenus. 13. libro Methodi: cum tamen manus & brachij venæ nullas habeāt communes fibras. Septimo, nam in affectibus lienis, ex dextro cubito vena secta, non minus esset idonea, quàm sinistra: & sanguinis è nare dextra fluorem, non minus compesceret cucurbitula iecori quàm lieni admota: siquidem porta, à cuius propagine nutritur lien, ex cauo iecoris nascitur, cum quo rectarum fibrarum nexum habeat oportet. Octauo, nam in pulmonia, sanguinis reiectione, tabe, palpitatione cordis, ac reliquis pulmonis, & cordis vitijs, rectitudinem ab autoribus longa experientia obseruatam transgrediuntur. Semper enim in dictis morbis sanguinem mittunt ex sinistra interna: quoniam nimirum pulmones nutriuntur ex venis à dextro cordis sinu prodeuntibus. Hic autem ventriculus cordis, in sinistram parietem venæ caue inseritur: qui per alam sinistram in cubitum excurrit. At Galenus è directo semper laborantis lateris sanguinem mittit, eò solum quòd partes <sup>cor</sup> & <sup>orb</sup> sitæ, necessario plus inter se communicant, & fruuntur, vt scribitur decimoquarto libro de Vsu partium, capite septimo. Nihil autem curat, an hoc, vel illo latere, fibræ sint acceptæ. Aëtius sermone quarto, secundi tetrabibli, perimneumonias (si sustinuerint vires) ex utroque brachio sanguinem detrahit: nihil curans è dextro ne, an sinistro caue pariete venæ fuerint exortæ: quoniam is rectarum fibrarum ductus nihilo est habendus. Auicenna vndecima tertij, tractatu primo, capite sexto, vbi canones vniuersales in curatione cordis proponit, sic scribit. Repletio sanguinea remouebitur phlebotomia basilicæ dextræ: sed repletio vaporosa phlebotomia basilicæ sinistrae. Quæ verba aperte monstrant, in ægritudinibus cordis obseruandam esse rectitudinem dextrorum cum dextris, & sinistorum cum sinistris, non aliam. Dexter enim ventriculus cordis, sanguinea repletionem solet abundare: vaporosa verò sinister. Adde vltimo, quòd Hippocrates atque Galenus (quos ipsi in suam sententiam citant) nusquam de rectitudine agentes, hunc fibrarum ductum memorarunt: nec eis in mentem venit vnquam, penes fibrarum ordinem rectitudinem metiri. Inueniant quiduis, & posteritati tradant: nudum tamen, & quale quodq; est exhibeant. Ferendum enim minimè duco, antiquos autores nolentes, in nostrorum figmentorum testimonium adducere: ac si illi nostri immemores, de nobis antea cogitassent.

Quæ sit rectitudinis lex. Et an natura re-

ctitudinem aliquando violet.

CAP. XXXII.

Recti-



Rectitudinem in naturæ expulsionibus aduertit Hippocrates, & post eum Galenus, vt ex varijs Galeni atq; Hippocratis locis, capite antea acto manifestum fecimus. Naturæ enim opera contēplantes, viderunt quòd iecur inflāmatum, ex fluxu sanguinis per narem dextram sanatur, non per sinistram: lien verò cōtra. Ex iecore viderunt bubones fieri dextros: sinistros ex liene. Sanguinis fluxum ex dextro nare, cōpescit cucurbitula iecori admota: lieni ex sinistra. Renē dolente ac malè affecto, crus quod è regione est, solet stupore affici. 6. Epid. par. 1. sent. 5. Dextra manu, aut digito dolente, sub ala dextra tumores fieri solent: humoribus doloris ratione, per rectum confluentibus, & media via in glandosa carne interceptis. Ac demum dextra cum dextris, & sinistra cum sinistris, frequenti experimento magis cōmunicare, & consentire, aduerterunt antiqui. Et quanquā in nonnullis dignosci non possit, an è regione facta sint: rationi est consentaneum, secundum rectitudinem ea fieri putare, autore Gal. 6. lib. Epid. par. 2. com. 14. Vt quòd varices è regione facta abscessu, furorem curauerint, apud Hipp. 6. Aph. sent. 21. Neq; enim perspicere licet, vtrum in dextris cerebri partibus, an in sinistris affectu oborto, in furorem acti fuerint. Quemadmodum si diutina tussi laborantibus, abscessus in testibus fiat, non facile vtra pulmonis pars affecta fuerit, sciri potest. Habent autem testes, & genitalia, magnā cum thorace cōmunitatem: quam declarāt gracilitas thoracis, & vocis, in his quibus testes fuerunt exempti: eiusdem raucitas, grauitas, & virilitas, atq; māmaram augmentum, statim ac veneri operam dare incipiunt homines. Quod diuinus ille aduertit Hipp. 2. Epid. sect. 1. ita scribens. Testibus tumētibus diuturnæ tusses sedantur, testes quæ tumentes à tussi mittigantur. Id quod memoriam suggerit, ac commonet, cōmunitatis pectoris, māmaram, genitalium, ac vocis. Et. 4. lib. Epid. in fine. Tussis (inquit) sicca, in testes abscedit, & quæ ad testes abscesserunt, ex tussi soluntur. Atra præterea bile vexatos, superuenientes hæmorrhoides sanant. 6. lib. Aphorism. sent. 11. neq; tunc nobis loci passim rectitudinem cognoscentibus. Sanguinis quoq; ex utero copiosum profluium, multos curare morbos omnibus in aperto est: sed neq; hic an ex dextri vteri venis, an ex sinistro, an ex utroq; excretio facta sit, agnoscere possumus. In his itaq; affectionibus cognitu difficilis est, aut omnino ignota, languētis mēbri rectitudo. Quoniā verò plerumq; in naturæ motibus, vbi rectitudinem nobis cognoscere datum est, directionem seruari videmus: vero proximū, et artificiosa coniectura coniunctum esse putamus, in his quæ non apparent identidem iudicare: præsertim si ex inferioribus, ad superiora decubitus fiat. Nam cum à superioribus, ad inferiora decumbunt, magis dubitauit Hippocrates de rectitudine: fortè quoniam abscessum aliquem in inferiora, non è regione vtiliter factum vidisset, vt suspicatur Galenus, sexto libro Epidemiarum, parte secunda, commentario decimotertio, dum Hippocratis sententiam interpretatur quæ sic habet. Considerandum itaque num omnia in rectum fiant,

fiant, an ea tantum quæ ab infernis sursum tendunt: qualia sunt ea quæ circa maxillas, aut oculos, aut aures fiunt. Ea verò quæ à superioribus deorsum decumbunt, non item. Attamen angina, rubores, & laterum dolores, fiunt secundum re- Etum: Contemplandum quoq; , num ea quæ infra iecur ex superioribus distributa sunt, veluti in testes, & varices, secundum reſtitutionem fiunt. Speculanda hæc quò, vnde, & quam ob rem, abscedant. Nec mirum est quædam citra reſtitutionem contingere, cum vniuersum corpus confluxile, ac conspirabile esse, eodem. 6. Epid. par. 6. sentent. 1. idem tradiderit Hippocrates. Quam sanè sententiam mirè sepe sepius extollit Galenus: nisi etenim dextrum, sinistro consentiret: duo animalia esset, nò autè vnū vnusquisq; nostrū. 2. lib. de causis pulsū, cap. 12. autore Gal. Et pfe- Etò si dextrum Calie latus validum est, nec aliqua sui parte fluxionem admittat, si- nistrum autem imbecillum, fluxionibus suscipiendis obnoxium: in eum ex dextro fiet decubitus, ob mutuam vtriusq; lateris conspirationem. Nam per reſtum fieri, im- pedit robur dextræ partis è directo sitæ: reliquum igitur est vt obliquè labatur in sinistrum. Sunt præterea quædam quæ inter dextrum & sinistrum, occultam socie- tatem, & consensum, quandoq; intercedere declarant. Qualia sunt, quòd coxendi- cum dolores sanat auris contrariæ vſtio: testatissimo nostri temporis experimento. Et quòd aduertit Auicennas, libro. 3. fen. 1. tractatu. 3. cap. vltimo, chirurgorum frequenti obseruatione probatum, quòd in vulneribus ad panniculum cerebri per- uenientibus, accidit laxitas in latere vulnerum, & spasmus in opposito eius. Cuius euentus, gentilis tres ponit causas me hercle ridiculas. Prima, quòd nerui partis læ- sæ præ imbecillitate nò possunt contrahi: & ob id non conuelluntur, sed potius à ma- teria fluente laxantur. Nerui verò contrarij lateris, quoniam cōtrahi possunt, ideo conuelluntur. Contra verò est, quòd conuulsio, contractio est ex morbo, non ex vir- tute. 3. de locis patientibus, autore Galeno: ergo neq; imbecillitas in latere vulne- rato, conuulsionē impedit: nec alterius robur, promouebit eandē. Secūda, ex ignorā- tia disseſtionū fuit profecta: putāt etenim, neruos dextros oriri ex sinistro, & sini- stros ex dextro: quod apertè falsum esse, nemo est qui tā nesciat. Tertia, quòd dolo- ris ratione, materiæ subtiles trahuntur ad partē vulneratā: quæ sua tenuitate nerui substantiā peruadunt, & ob id laxāt. Crassæ verò materiæ, cū non possint tā facile trahi, manēt in cōtrario: & ob crassitiē (inquit) nò imbibuntur, sed in meatibus neruo- rum coercitæ, cōuulsionē pariunt. Sed aut istiusmodi materiæ crassæ, attrahuntur à parte sana: aut ipsi inerant ante illatū vulnus: aut in eam ab alijs pelluntur. Primū non dices, nam pars vulnerata potius trahet ex sana: & si vtramq; trahere ex reli- quo corpore dixeris: cum vulnerata vehementius trahat: crassas materias (quæ ma- gis reluctātur tractioni) alliciet: pars autē sana (quæ nò nisi per cōsensum dolet, aut forte nò dolet) tenuiorē tantū materiā, quæ ex leni tractu educitur, aduocabit. Nā præter rationē est, vehemēti tractioni succedere tenuē, & leui crassū. Si verò ante vulnus crassæ inerāt materiæ in parte sana, cōuulsionē minimè excitātes: post vul- nus illa

illatum, nulla ratione excitabunt. Si tertium des, quòd crassæ scilicet materiæ pelluntur: in partem sanam, aut à parte ægra, aut à reliquo corpore, magis euades ri- diculus. Primo, quoniam pars ægra tum temporis, trahit non expellit. Secūdo, quo- niam promptius expelleret tenuē, quàm crassum: præsertim ex vulnere iam facta imbecillior. Reliquum verò corpus nò transmittit, nisi dolore vocatum: Quare aut ad partem vulneratam tantū transmittet: aut sine electione aliqua, tenuē atq; cras- sum pellet: Quo fit vt ex nobis occulto partium cōsensu, isthac proficisci credamus, potius quàm ex manifesta causa. Nisi forte quòd Celso autore libro. 8. cap. 4. solet euenire, in hoc casu contingat: quòd scilicet dextra parte fuerit ictus, & os sinistra fiderit. Vt in vitreis atq; testaceis vasculis, sepe numero fieri videmus, qui altera parte icti, contraria finduntur. Hæc autē similitudo, displicet Paulo lib. 6. cap. 90. in hæc verba. Sunt qui his differentijs apechema, quasi dicas ab echo ressonionem, addiderint. Ea est à cōtraria ictus parte facta caluariæ fractura. At falluntur hi, quoniam nò fit in hominis calua, quemadmodum in vitreis quibusdam vasculis fieri illi docent. Illa siquidem vacua sunt, ideoq; id patiuntur: calua autem hominis vni- diq; plena & alioquin solida est, ac rhogme seu fissura caluariæ, quæ aliarum com- plurium capitis partium ictarum lapsu, vel citra cutis continui solutionem genera- tur: quæq; postea abscessu in ea facta, eodemq; secto, apparuerit: in opposita ictus par- te factam esse ipsis videtur. Quo circa satius est dicere, quòd quanquam omnia cor- poris membra inter se conspirent: quædam tamen magis, quædam minus cum alijs communicant. Maximè autem communicant quædam ob reſtitutionem, vt dextræ cum dextris, & sinistra cum sinistris: quæ tum maxima, tum etiam perpetua socie- tate necuntur. Quoniam cuiusq; lateris sua est per se ipsum dispensatio, maior quàm per contrarium: sua enim vtriq; sunt data vasa, & vasorum progerminationes, quibus regātur. Quædam verò sine reſtitutione, nobis ignotam societatem seruant. Nā vnde quæso pendet testium, atq; thoracis, supra notatus consensus? Vnde auris sinis- træ, cum dextra coxendice cōsortium? & sectio venarum quæ post aures sunt, cur vñd'µττ id est defluxus ad coxas sanat, vt. 6. Epidem. par. 5. sent. 22. scribit Hip- pocrates? Nam quauis Galenus sibi non persuaserit, eam sectionem fore vtili: ms extat alter Hippocratis locus euidentior, & exemplo scitarum confirmatus, qui hoc morbi genus, ob frequentem equitationem perpetiuntur. Libro enim de aere aquis, & locis, ad hunc modum scribit. Quomodo hic affectus contingat, vt mihi videtur narrabo. Ab equitatione ipsa, defluxus eos in coxam corripunt, nimirum propendentibus semper ex equis eorum cruribus: deinde claudi fiunt, contrahuntq; coxarum vertebræ, quum inualuerit morbus. Medicantur verò sibi ipsis hoc modo: Ab initio morbi vtrāq; venā retro aures incidūt, quo facta sanguine multo proma- nante, somnus eos corripit præ imbecillitate, sicq; obdormiscunt: quorū quidē aliqui depulso somno, sani exurgunt: aliqui verò minimè. Atq; mihi sanè videtur, ea me- dicatione seipsos perdere: venæ enim retro aures sunt, quas si quis secet: fertilitatem inferat,

inferat, his quibus secantur: quare id etiam ipsis ex earum incisione accidere certum est. Quibus verbis, societatem etiam alteram inexplicabilem notabis, inter venas quae retro aures sunt, & testes. Nam vnde est quod ex earum sectione, impotentes fiant homines, certissimo scitarum experimento ab Hippocrate animaduerso? Quod ut minus dubites, audi quae eò loci, de ea re verba subdit. Quando igitur postea uxores adeunt, impotentesque se factos vident cum illis coire: primum quidem nihil molestius cogitantes quiescunt: cum autem bis, aut ter, aut amplius, frustra opus tentarunt, neque quicquam proficiunt: mox putant, se deos offendisse, in quem culpam reijciunt: induuntque se veste muliebri, palam se euiratos esse confitentes: ad mulierumque contubernia transeunt, earum opera tractantes. Haec hercle societas, solo experimento, non ratione, aut anatome, innotescere potuit. In ijs autem explorandis quae humana ratione carent, si causam insolentius inquiras: incidēs maiori ex parte in laqueos difficiles & admiranda portenta. Quale est ab Hippocrate commentum in libro de Semine: quod ob id quibus dictae venae praeciduntur fiunt steriles: quoniam maior seminis portio, à capite iuxta aures in spinalem medulam descendit. Transitus verò ipse, post sectionem iam obducta cicatrice indurescit, consolidaturque. Quod tamen est aperte falsum. Nam nec semen in capite generatur: nec in dictis venis substantia alba, sed rubra semper reperitur: nec ab ijs ad spinam, aut ab hac ad testes, manifestus aliquis semini est aditus. Quare satius est dicere, eam sterilitatem ex ignota earum venarum cum testibus societate prodire: quam mentibus hominum imponere. Nec enim meliorem rationem reddes, cur parte capitis dextra icta, conuellatur sinistra. Nec inter dentes & organum auditus nexum aliquem docet anatome: qui tamen aures obstruit, aut surdus est, si citharam mordeat, modulū exaudit ob nobis ignotū cōsensum. Haec tamē rara sunt, & eatenus tantū recipienda, quatenus experientia innotuerint. Dextri verò cum dextro cōsensu, & sinistri cum sinistro, maximus, atque frequentissimus est, & vix unquam à natura violatur: nisi fortē morbi vehementia perturbata, aliorum vacuare tentet. Non modo autem non iuuat eiusmodi perturbata vacuatio, verum quā maximè obest: quoniam citra morbi leuamen, vires excoluit. Virium enim exolutio cuius vacuationi est annexa: morbi verò leuamen non fit nisi peccans humor effluerit: is autem obliquè rarò solet effluere. Tantaque huius euentus est raritas, ut Hippocrates nihil eius statuerit: sed consulit aduertere, num iudicia quae à superioribus deorsum non è regione fiunt, vtiliter fiant: fortè quoniam aliquem abscessum, sic vtiliter factum viderit: de quo tamen dubitauit. Custodienda ergo medicis est rectitudo, dextrorum cum dextris, & sinistorum cum sinistris: ut adminiculantem habeant naturam, quae rectā semper solet vacuare. Nec alia praeter hanc est rectitudinis lex, ut ex infinitis penè Galeni atque Hippocratis, locis citatis constat. Nec enim si societates alias violaueris (superiorum scilicet cum superioribus, inferiorum cum inferioribus, externorum cum externis, et internorum cum internis) rectitudinem violasse dixeris: dummodo dextri & sinistri rationem

nem

nam seruaueris. Quod negligenter Valesium aduertisse constat, qui eam esse rectitudinis legem (septimo libro Controuersiarum, capite quarto) adstruit, ut societas membrorum seruetur: dextrorum scilicet cum dextris, & sinistorum cum sinistris, superiorum cum superioribus, & inferiorum cum inferioribus. Quod vel eo manifestè licet colligere, quod secundo libro de arte curatiua ad Glauconem, capite secundo, genu atque vtero inflammatione affectis, & decimo libro de compositione medicamentorum secundum locos, in coxendicis morbo, sanguinem ex brachio detrahens Galenus, rectitudinem nullatenus violat: quanquam communitatem, societatem, & consensum inferiorum, cum inferioribus non seruet. Est ergo sita rectitudo, & obliquitas, in dextro & sinistro, non in alijs differentijs: nam reliquas natura etiam transgreditur in suis iudicijs. Erysipelam enim, & quauis inflammationem, ab intus extra conuerti bonum. 6. libro Aphorism. sent. 25. Hippocrate autore. Superna quoque relinquere, & deorsum in crura vergere, bonum est: ut insipientibus si varices vel haemorrhoides superuenerint, insaniae solutio fit. Dextri verò atque sinistri consensum, nunquam natura vtiliter violasse deprehenditur. Primo, quoniam humorum per rectum perpetua fit dispensatio, & cuique lateri per se suum ius est tributum: nam ob id corpus nostrum fuit in lateribus equilibre, ut vnum lateri altero non indigeret. Secundo, quoniam venarum cuiusque lateris propagines coalescunt, & multifariam confunduntur inter se, & non cum propaginibus alterius lateris. Media enim incedit vena & arteria magna, quae per spinam incedentia vtrinque mittunt venas & arterias, à quibus postea cuiusque lateris venulae propagantur: quin & spina ipsa ibi extuberans, latera & venarum coitiones separat. Cuiusque ergo lateris vena, inter se, & cum meatibus carnis, coeunt: quae praecipua in rectitudine ratio est, quare magis exhauiatur lateris sectum, quam aduersum. Hinc pendet intellectus ratione, quae Vesalium, & plures post eum decepit: quod scilicet in pleuritide octo inferiorum costarum, siue dextra sit, siue sinistra, dextra semper basilica sit tundenda. Quamquam enim αὐτοῦ vena, vtrasque costas nutriens, ex dextra venae cauae parte oriatur, & tota sit dextra (ut docet anatome) meatus tamen carnis, & venae capillares eiusdem lateris, multifariam coeunt inter se. Cuius ratione secta basilica sinistra, non modo exhauiuntur venae nutrientes quatuor costas superiores, sed etiam inferiores omnes cum istis copulatae. Accesserunt etiam duae venae, ex caua prope iugulum per os pectoris deorsum deriuatae, una quidem dextra, altera sinistra: ex quibus costae inferiores, non exiguum nutrimentum assumunt. Cum enim plurimo nutrimento egerent, merito non fudit natura propaginibus venae cauae, & venae sine coniuge: sed creauit à iugulo dictas venas descendentes, quae cum alijs coeunt, nutrimentum ipsis afferrent. Secta ergo basilica sinistra, octo costas inferiores vacuabit merito venae descendentes, & per venas etiam superiorum costarum cum inferioribus copulatas. Et ob id Galenus quantumuis non ignorauerit, ab afigo venam dextram



dextras pariter & sinistras ali, pleuritidem omnem ex laborantis lateris brachio vacuat: ut constat ex secundo libro de ratione victus in morbis acutis, commentario dicimo: & quarto libro eiusdem tractationis, commentario septuagesimo secundo. Tertio, vim aliquam habet rectitudo ex cursu liquidi, quod recta suapte sponte fluere solet: ut in fluminibus & torrentibus videmus contingere: praesertim si plenus sit alueus, & cursus non impeditus. Sic ergo quavis caua sine septo aliquo, aut interceptante membrana, sanguinem contineat, qui a dextris influit, in dextra parte manet: & qui a sinistris, in sinistra: & qui in dextra parte, ex dextris membris immititur: qui in sinistra, a sinistris. Nam & plenus semper est alueus, & cursum impedit nemo. Dictis adde (si placet) oblongarum fibrarum cursum rectum, per quem facilius ducuntur humores, & a natura expelluntur: quanquam & haec ratio parum ponderis habeat, ut supra diximus.

Est autem aduertendum, quod non modo est obseruanda rectitudo dextri & sinistri totius corporis: verum & ea quae inter dextrum & sinistrum eiusdem lateris intercedit, utilis est: licet non tantum momentum afferat ac illa. Quoniam meatus carnis & orifica venarum, magis coeunt, extrema cum extremis, & intima cum intimis: quam alternatim extrema cum intimis, aut intima cum extremis. Siue enim mobilia corpora, siue facultates ipsas motrices spectes: facilius semper in rectum mouentur, & mouent: quam aut in latus, aut in obliquum. Grauia & leuia, superum aut imum petunt locum, breuissima & compendiosissima via quae recta est. Facultates (tam trahens, quam propellens) recta pellunt: tum eadem ratione, tum quoniam undique, aut comprimuntur, aut extenduntur. Sic magnes recta trahit acum, & ex illa altera, ut ex hac tertia, in recta propendit: facultate trahente recta deriuata. Follis etiam atque respiratio, magis trahit aerem a directo situm. Sic balista & sclopetrum in rectum collinant. Sic mictio, ructus, & crepitus, in rectum feruntur. Sic fluentis fluminis latera, aquam non sibi communicant: sed recta decurrunt. Sic radij solares in rectum illustrant, calfaciunt, & influunt magis. Sic visio nostra in rectum fit, non in obliquum. Sic manus dextra, pesque, & dextra capitis pars, ardente iecore exasperantur, vlcerauntur, & ardent magis: sinistra vero si lien. Sic extremae partes magis inter se communicant: quam cum intimis, etiam in eodem latere. Sic vbi caput ex ventriculi consensu laborat, frontem dolet: vbi ex utero synciput: sicut cum ex renibus, aut dorso, occiput: ut ex antiquorum placitis refert Gal. 6. lib. Epi. par. 1. com. 2. Nam praeter iam dictam legem mouentium & mobilium, accedit in nostro corpore viarum, & meatum rectitudo: venae enim cuiusque lateris, per ipsum latus exporriguntur in longum magis, quam in latus: quoniam corpus longius, quam latius fuit formatum. Canales praeterea, & occulti meatus carnis, & muscutorum (qui in demortuo corpore non apparent, in viuo autem sunt ex nativo calore, & spiritu distendente patentiores) in longum etiam feruntur: ut motui naturae qui in rectum fit, sunt opportunissimi. Medicum ergo decet in suis actionibus, non modo rectitudinem

dinem lateris non violare, verum intra idem latus eam seruare debet, extremae extremis, intima intimis, & media medijs opponens. Hinc dum menses mouere studemus, & aut uterus, aut vesica male afficiuntur, interioris pedis venam (saphenam appellatam) secamus. In coxendicis vero morbo, externam inter talum & calcaneum sitam incidimus. Hanc societatem non aduertens Galenus, sexto Aphorismorum, commentario trigesimo sexto: in vesicae affectibus paruam vim habere dixit, interiores, aut exteriores pedis venas secare, quoniam ex vna poplitis vena oriuntur ambae. Quam rationem tanti fecit Auicenna, quarta primi, capite vigesimo, ut experimentum hac in re, rationi contrarium statuatur bis verbis. Et ratio quidem facit oportere, ut sciatica & saphena similis existant iuuamenti: sed experimentum facit, ut operatio sciaticae plurimum conueniat dolori sciae, sicut si hoc esset debitum. Sed contra est, quod ex ea ratione nihil intererit dextram aut sinistram, basilicam incidere: nam ex vena caua simplici ambae deriuantur. An in vena poplitis, & venis ab ea deriuatis, pondus habebit ratio: & in caua, atque ab ea exortis eo carebit? Vtque ab eadem vena exoriri, non tollit maiorem aut minorem consensum, per venas capitales, & per meatus carnis inuicem magis aut minus coeunt. Valesius tamen quae Galeni ratio, vti & Auicennam conclusit: arbitratus est Galenum non intellexisse Hippocratis Aphorismum. Nam per internas venas, quas Hippocrates iubet in vesicae inflammatione, & inde nata vrinae difficultate secare, magnas venas intelligit, quae sanguinem plurimum & crassum, ab intimis corporis partibus possint educere, siue externa siue interna cruris parte in pedes ipsae ferantur nihil curans. Eo enim (inquit) Hippocrates iussit secare interiores, ne tu scarificatione cutis esses contentus: sed magnam venam quae interna vacuaret secares. At contra est primo, experimentum omnibus medicinam exercentibus notum, & ab Auicenna nimis aduersum, cuius nos rationem nuper exhibuimus. Secundo, nam rectum vocabulorum usum transgreditur: quas enim Valesius appellat internas, Galenus communes venas vocat: quoniam videlicet sanguinem continent, nondum alicui particulae nutriendae determinatum, sed omnibus aut pluribus certe commune. Tales sunt in brachio cephalica, basilica, & media: & in crure vena poplitis, saphena, & sciatica. Has sane in exteriores, interiores, & medias, diuidit: interiores, quae interna brachij aut cruris parte feruntur: exteriores, per externam: mediae vero, quae ex utrisque coeuntibus consistunt. Interior est in brachio basilica, & in pede saphena: exterior in brachio cephalica, & in pede sciatica. Venae ergo communes sunt quae sanguinem continent, nondum alicui particulae nutriendae determinatum: & in internas atque externas diuisionem patiuntur. His opponuntur propriae & peculiare, quae vni tantum particulae inseruiunt: ut vena frontis, temporum, linguae, & similes, quas homogicas, id est coniunctas, seu coniuges, & partibus ipsis adherentes, appellat Galenus, secundo libro de arte curatiua ad Glauconem, capite secundo: vbi etiam communes, internas & externas

appellari tradidit. Si hic ergo est vocabulorum rectus & congruus usus, priscam veritatem sapiens nemo sanæ mentis, vocabuli inusitatum significatum, in Aphorismo recipiet.

**An in pleuritide descendente sit præferenda venæ sectio, expurganti medicamēto. De exortu venæ sine pari. Et an per membrum princeps liceat ducere materiam corruptam. CAP. XXXIII.**



**N** pleuritide descendente quæ claviculæ condolentiam nõ affert, medicamēto expurganti, non autem venæ sectione, utitur Hippocrates. 2. lib. Acutorum, com. 11. Cuius placiti rationē paulò ante tradiderat Galenus, in comentario ad decimam sententiã, in hæc verba. Verum quæ partes thoracis inferiores prope septum trãversum infestant phlegmonæ, non abs re dolorem ad hypochondriũ transmittunt. Quo fit ut dolores huiusmodi non admodum iuuet quæ in cubito fit vacuatio: corde scilicet medium occupante. Nempe venam quæ inferiores thoracis alit partes, sub corde emergere audiisti. Quibus verbis patet, eò esse vitam sanguinis è gibbero detractiõnem, in descendēte pleuritide: quoniam inter inflammationem, & cubitum, mediat cor: per quem materia pleuritidis esset necessariò ducenda. Traditum autem est ab ipso Galeno. 1. Aphorism. com. 27. quòd motus qui ad pulmonem, thoracem, & cor inclinatur, bonus non est: sunt enim præcipua membra, per quæ ducere non oportet corruptum humorem. Nam & id cauit etiam Auicenna 4. 1. cap. 1. inquiens. Et caue tibi ne transitus super principale fiat. Ob idq; merito iuxta Galeni sententiã, à venæ sectione abstinet Hippocrates, & expurgati utitur medicamento ad intestina ducente. In commentario tamen ad undecimam sententiã, venæ sectionē expurganti medicamento præfert, ubi febris vehemens cõiungitur descendenti pleuritidi, ob acutiem: ob quam rarò medicamentis purgantibus esse utendum, in Aphorismis tradiderat Hippocrates: aut ubi natura corporis expurgandi, medico est ignota: metus est enim ne plus iustò vacues, vel nullo pacto vacuationē moueas, aut si moueris, non tamen sufficienter vacues. Ob idq; concludens subdit. Cum igitur febris vehemens non fuerit, naturamq; laborantis expertus fueris, ad medicamenti purgantis potum te conferes: ijs quæ ab Hippocrate dicta sunt, vel etiam alijs similis naturæ usus. Quo è numero est quod ex colocynthide paratur medicamentum, quod iam ex usu hieram vocant. Id sanè varijs parant modis: sed quòd helleborum accipit scamoniãq; non habet, id ijs qui medicamentum subductorium omnino adsumere possunt, optimum est. Quæ sanè omnia pace Galeni sunt erroris plena. Primo enim Hippocratem intelligit de pleuritide octo inferiorum costarum loquentem: quod apertè falsum esse, eò constat, quòd costæ omnes, sunt supra septum trãuersum: Hippocrates verò de doloribus infra septum men-

mentionem habuit, nec apud Hippocratem legitur prope septum, ut Galenus usus est corrupisse in commentario, sed infra septum. Terminum enim partitionis corporis, solitus est Hippocrates septum statuere, ut capite vigesimo sexto Fusius diximus: non autem exortum venæ sine pari, quem fortè non nouit Hippocrates. Secundo, quoniam ratio Galeni falsum assumit, de loco exortus venæ sine pari: nam (ut docet anatome, & notat Vesalius libro sexto de humani corporis fabrica, & libro de radice chinæ) in homine pariter; atq; in reliquis animantibus, oritur supra cor non infra. Tertio, quia etiam si infra cor haberet exortum, exhauriri posset pars inflàmata, per venas superiores, quas cum propaginibus venæ sine pari coire diximus, citra transitum humoris per cor. Præsertim si vera essent quæ Amatus Lusitanus scribit, de valuis quæ sanguinis regressum impediunt, centur. 1. curatione. 51. summæ enim impudentiæ virum eum esse censerem, si sensibus omnium voluisset imponere. Obseruent igitur rogo corpora diffecantes, an in aliquo corpore fortè fortuna reperiantur, & nos de ea re aduertant. Quarto, nam quod Auicenna cauit, ne transitus fieret ad principale, solum habet locum in casu ab autoribus animaduerso: quando scilicet materia corrupta manet in ipso principali. Nam alioqui inter iecoris inflammationem, & cubitum, mediat cor: inflammationem tamen hepatis, aptissimè curat sectio venæ internæ dextri cubiti, autore Galeno libro de sanguinis missione, & decimotertio libro Methodi. Inter posteriora capitis, & venam frontis, mediat cerebrum: posteriora tamen capitis dolentia, vena in fronte incisa iuuat, apud Hippocratem. Inter caput præterea (à quo materie corruptæ vacuantur expurganti medicamento) & intestina, medium habetur iecur: nec tamen ob id ab expurgando desistimus: quoniam per ipsa præcipua membra transeunt humores, non ut ibi maneant, sed ut vacuentur: nam nulla commodior via reperitur. Quinto, nam in pleuritide descendente, etiã si febrim habeat mitem (quantuncunq; naturã laborantis fueris expertus) venæ sectio non est omittenda. Morbus enim phlegmone est, & ex affluentibus fit sanguine: eius ergo detractio, potius quàm expurgans medicamentum eius erit medela. Sexto, nã si purgandum tunc esset, nostro tempore pœna capitali esset puniendus, qui ex hiera diacolocynthidos quæ helleborum in compositione admittit, pleuriticum purgaret. Quin & Hippocratis tempore, sanius cum pleurítico actum esse putarem, solius naturæ beneficio ipsum relinquere, quàm medicamenta huiusmodi propinare.

Sed quæ ratio mouit Hippocratem dubitalis, ut descendentes à septo dolores pharmaco curet, non autem venæ sectione? Nã profectò si ex phlegmone ducatur ortum; (sive infra sive supra cõsiterint) venæ sectio potius quàm purgatio est utilis. In re ancipiti expeditã prorsus sententiã ferrè nequimus: quod tñ diutius cõsiderãtes cõicimus subdã. De pleuritide Hippocrates agit, quæ interdum ex calida atq; acuta materia, & ex frigida atq; crudiori oritur nõnunquã. Illa ingentem febrẽ & condolentiam claviculæ, ob humorum ex qua constat leuitatem & efferuescentiam affert.

Hæc verò ex frigidis humoribus, suapte sponte grauibus, nō ad clauiculā, sed ad hypochondria, & in nas partes vergit: inibiq̄ condolentiam infert: febremq̄ non vehementem facit. Quod sanè voluit Auic. 10. 3. tract. 4. cap. 6. in hæc verba. Dolor in phlegmatica & melancholica, secundū plurimum est descendens, ad lenitatem tendens: & in alijs duobus est ascensus inflammatus. In eadem ergo pleuræ parte consistens inflammatio diuersa, diuersam affert condolentiam: ex humoribus quidem calidis, leuibus, & ebullientibus, sursum ad clauiculam: ex frigidis verò, subsidentibus, & impetum deorsum facientibus, infra ad hypochondria. In illa sanguinis missio est idonea: in hac si venam seces, cruditatem augebis, & peccantem humorem nō extrahes. Quare statim inter initia, antequam crudi humores firmentur in parte, expurgans medicamentum (quod aut pituitam, aut melancholicum succum vacuet) propinat Hippocrates. Ob idq̄ colocyinthim, & helleborum in hiera admisit Galenus: scamonium verò reiecit, quoniam bilem vacuat. Hunc verò esse genuinum Hippocratis sensum, apertius monstrat sententiā septuagesima sexta, quarti libri de ratione victus in morbis acutis, in qua pleuriticōs quibus sub thorace dolor est, purgat inter initia: id est ante quā in parte firmetur humores, vt exponit Galenus in commentario. Quod etiam voluit Aëtius, serm. 4. secundi tetrab. cap. 68. vbi ita scribit. Si itaq̄ dolor circa mammas innititur, ac vsq̄ ad clauiculam se extendit, citra dilationem confidenter venā secanda est. Si verò deorsum ad præcordia vergat dolor, corpus purgandum. Vt vel ex hoc luce clarius fiat, Hippocratem sententia decima, & vndecima, secundi libri de victu acutorum, non agere de pleuritide quatuor superiorum costarum: nec de altera prope septum: sed de pleuritide in vniuersum: quæ pro diuersitate humorum ex qua gignitur, differentes partes agit in consensum, nunc ad iugulum, nunc ad præcordia pertinens. Cum autem ex humorum diuersitate, vacuationum p̄deat differentia: merito fit, vt condolentia genus vacuationis indicare possit. Est quoq̄ & lateris dolorum genus aliud, ex crudis humoribus & viscosis ortum, qui aliquando se in vacuum thoracis locum repente ingerūt, aut in ipsum etiam pulmonem: in quo expurganti potius medicamento, quā venæ sectione est vtendum. Dicti nanq̄ humores, multitudine sua, succingentem latera intrinsecus pelliculam distendentes, inferūt dolores: vt imaginatio factæ inflammationis, in expertis exhibeatur: quin etiam vias spiritus intercipientes, vehementem spirandi difficultatem inducunt. Vnde quidam medici errore seducti, venâ cubiti incisa, multoq̄ sanguine euacuato, mortis causam agris præbuerūt, vt Aëtius est autor serm. 4. secundi tetrab. cap. vltimo. De quo fortè genere Hippocrates intellexit: nam si in vacuum thoracis spatium, penetret huiusmodi humor, ad septum vsq̄ præ grauitate decidat est necessum: & hypochondria facillè aget in consensum. Verā nanq̄ pleuritidē, quantūcunq̄ sit pituitosa, aut melancholica, atq̄ ad præcordia pertinet: sine venæ sectione aliquali transigere, post Hippocratem omnes formidant auctores, ex morbi genere (quod scilicet inflammatio est) indicatione desumpta.

Huc

Huc vsque dicta per epilogum referuntur. Ars insuper traditur qua instructus chirurgus vulnerarius, venæ secandæ opus rectè absoluet. Quidq̄ in ipsa sectione, & post sectionem peractā agere conueniat. CAP. XXXIIII.



Enam ergo (vt omnem hic de sanguinis detractioe summā repetamus) secabimus tribus presentibus scopis: morbi scilicet magnitudine postulante, virtute, & ætate, consentientibus. Nam magnitudinis morbi defectu, pleuritidem memorat Gal. 6. lib. Epid. par. 3. com. 44. in qua sanguinis missione non fuit opus: quoniā natura sola bona victus ratione adhibita, morbum sanare fuit potis.

Morbi autē magnitudinem æstimamus, aut in propria essentia, aut ob principis partis affectum, aut quoniam mali est moris: siue acutus, siue diuturnus sit morbus. Fallitur enim argenterius, cum per morbi magnitudinem ad venæ sectionem necessariam, acutiem intelligit: tum quoniam plurimi sunt acuti morbi, quibus sanguinis missio non conuenit, vt conuulsio à crassa pituita, neruorum originem infarciēte: & omnes qui ab ingenti cacochimia oriuntur: tum etiam quoniam plurimi sunt ex diuturnis, quibus venæ sectio remedium est salutare: vt vertigo, podagra, & morbus articularis, in quibus sanguinem mittit Gal. lib. de sanguinis missione, cap. 19. Nec obstat, quod Hipp. 4. lib. de ratione victus in morbis acutis, sent. 19. ita scribat. In acutis morbis sanguinem detrahes, si vehemens morbus videatur, florueritque ægotanti ætas, & virium affuerit robur. Hæc Hippocrates. Cui satisfacit Galenus in commentario, ita scribens. Quod porro in fronte dictiois dictum est, in acutis morbis sanguinem detrahes, vt consideretur est dignum. Sed quomodo longorum morborum non meminit? Quoniam sanè de acutis nunc docet, atq; ob id solos eos memorauit. Nempe & ex longis multi sunt qui sanguinis egent detractioe, cum & hi, dictis tribus subiaceant scopis. Quibus verbis luce clarius docuit Galenus, quod nullatenus acuties per magnitudinem sit intelligēda: sed vnū aliquod ē dictis tribus significatis. Nec ob id cuiq̄ morbo magno sanguinē mitere cōuenit: morbi enim magnitudo, magnitudinem remedij solam postere diximus: sanguinis scilicet missionem, aut purgationem, aut potum frigidæ copiosissimum, aut membri amputationem: quæ omnia magna præsidia sunt, & à solis magnis morbis postulantur: non quidem omnia ab omnibus, sed singula à singulis. Vt enim morbi magnitudo postulat magnitudinem remedij, ita species magnitudinis morbi, postulat speciem magni remedij: plethora (inquam) venæ sectionem: cacochimia, purgationem: incendium, ac vehemens in causo siccitas, potum frigidæ: & gangrena membri resectionem. Non tñ vt sanguinis missione, aut purgationi, sufficit morbi magnitudo præsens, aut imminens: ita & frigidæ potioni, aut membri amputationi, sufficit. Nemo enim

Mm 4 enim



enim ob timorem futuræ gangrænæ, aut incendiij, membrum amputabit, aut gelidissimæ potu adhibebit, nisi huiuscemodi iam adsint affectiones: sanguinis verò missione, aut expurgatione utemur, non modo curationis, sed præcautionis etiam gratia, morbi magni futuri timore: cum scilicet plenitudo aut cacochimia, ex quibus dicti morbi sunt oriundi adsunt: & cum adest partis alicuius insignis imbecillitas, dolor, aut ictus: quorum ratione humores ad partem confluere, aut solent, aut timemus. In huiusmodi enim partium imbecillitatibus, ictibus, assuetis defluxibus, & timore phlegmonum futurorum: non modò præsentè plenitudine, verum etiam quibus naturalis est humorum mediocritas, & ijs qui citra mediocritatem constituuntur, sanguis est venæ sectione detrahendus. Præterea utilitates ob quas in cacochimia licet sanguinem mittere, aut in plenitudine expurgati uti pharmaco, de quibus capite sexto abunde egimus. Quòd verò virtus valida quæ venæ sectionem ferat, necessaria sit: quòdque non modò vitalis, sed animalis etiam ac naturalis: & vtra ex his magis sit necessaria: quibusque signis cuiusque ipsarum robur, ac imbecillitas deprehendatur, dictum nobis est. Sufficiunt autem hi duo scopi ( magnus scilicet morbus postulans, & vis valida consentiens) in alijs à pueritia ætatibus, apud Galenum. Nam pueris etiam si morbo magno & acuto laborent, validamque virtutem habeant, venam secare negat Galenus vsq; ad annum decimumquartum. Zoar verò, & cū eo vniuersa schola, vsq; ad annum tertium exactum. Paulus autē Galenum sequutus, lib. 6. cap. 40. ipsum in hæc verba interpretatur. Porro in ætatibus vsq; ad quartumdecimum annum, sanguis mitti non debet, sicut etiam post sexagesimum, nisi necessitas quædam ineuitabilis huc nos cōpellat. De consuetudine autem num annumeranda sit scopis postulantibus, an consentientibus, an vtrisque: num scilicet augeat tolerantiam solam, an simul etiam indigentiam, inquisiimus. Quòd etiam regio, anni tempus, & præsens anni constitutio valde calida aut frigida, vteri gestatio, humorum cruditas, profluuium ventris, dolor, fastidium, & conualescentia, dictis præsentibus scopis, sanguinem prorsus mittere non vetent, sed quantitatem minuāt: quòdque si plura horum iungantur, ex pluribus non præcipuis fieri possit vnà indicatio prima, quæ sanguinem prorsus mittere impediatur, diximus. Quatenus etiam cacochimia frigida, aut calida, venæ sectionem impedire sit potis: & quando in cacochimia opus sit venæ sectione, & in plenitudine purgatione: anque in casu sanguis sit intrepidè detrahendus non prætermisimus. Venæ secandæ delectum, in quibuslibet morbis, & è quibus fontibus desumi debeat: & quando rectitudinem & communitatē violare liceat: de quibus harum obseruatione, & penes quid attendatur: plura scripsimus. Sanguinis detrahendi quantitatem non prætermisimus, quibus scilicet temperaturis, ætatibus, consuetudinibus: anni temporibus, parcius, & quibus copiosius sit detrahendus: quando sit illico suppressendus: quando sanguinis mutatio spectanda: & an ad animi defectiōnem ægrum interdum ducere oporteat: quibusque indicijs satis sanguinis detractum esse deprehendatur, diximus ad satietatem. Occasiōne præterea

in

in venæ sectione esse captandam, nisi valde vrgens sit casus docuimus. Hinc saturis & famescitibus venæ sectionem negauimus: exiguum autem cibum qui soli vtriculo sufficiat, venæ sectioni præmittendū duximus. Quòd verò vomitio debeat interdum eandem antecedere, aliàs leniens pharmacum, clyster autem leniens ferè semper: & an pharmacum attractorium interdum debeat præmitti: quòd itē cœlio non necessariò debeat præire, & quando vtiliter præmittatur docuimus. Huc etiā pertinet quòd de lunæ coitibus, oppositionibus, & aspectibus cum alijs astris: pariter & de diebus decretorijs, quæsiuimus an sint ad venæ sectionem cauendi.

Quid verò in ipso sectionis actu præstandum sit, scire tum medicis præcipientibus, tum chirurgis famulantibus, valde conducit. De quo primo, accumbentibus ægris, non autem erectis, aut sedētibus, venam fore secandam, tradit Galenus. x. lib. Aphor. com. 23. ne scilicet ægri animo linguantur. Sedentibus enim aut erectis laborat animalis facultas: intestina etiam ac viscera ex præcordijs pendentia, vim inferunt vitalibus membris: ob idque syncope facillè prehenduntur. Præsertim si acres succi ad os ventriculi confluere soleant: aut ipsum ventriculi os sit valde sensile, maleque habere soleat ex acris deuoratis, qualia sunt piper, sinapi, & acetum: aut si ventriculus sit imbecillis, qui scilicet parum appetere soleat, & ex accepto cibo grauari, in nauseam aut vomitionem cōcitari, quique ex inedia, ira, aut pauore soleat syncope stomachica, epilepsia, aut cōuulsione corripitur. Nam qui his leuibus occasiōibus huiusmodi malis corripitur, certius ex venæ sectione quæ sanguinem & spiritus dissipat, & reliquos humores commouet, corripietur iisdem: & maximè si dum vena secatur non discumbat. Ij tamen quorū ventriculus acris succo mordetur, iubendi sunt ante venæ sectionē vomere: & post vomitum sumere micam panis infusam in succo agrestæ, aut in succo limonis aqua rosacea temperato, aut cotoneum vel granatum acidum. Qui verò ventriculum habent admodum sensile, aut imbecillum, ante quam vena secetur, reficiendi sunt gallinæ ventriculo asso, aut tantundem de petore eiusdem, aut cortice citri, aut mica panis ex vino rubeo & exiguo moschi, si adest ventriculi frigus. Extra quoque ventriculo imponatur manus humana, aut catellus, aut panis tostus vino roratus & cinamomo respersus, aut vnguentū aliquod ventriculum roborans. Aqua insuper rosacea, florum aurantij, & vinum album mixta, odorati admoueantur. Sit pars statim ac vena scissa est, prona quantum situs partis ferre potest, vt sanguis exeat expeditius. Brachium ad partem domesticam nonnihil est contorquendum. Manū ad siluestrem, aut infra vertimus: vt deorsum vel è latere sanguis feratur. Pedem etiam ad latus inclinamus vt fluat è latere: infra namque vertere non possumus. Vena poplitis, nec ad latus, nec infra effluere potest: genu enim flexo in pelui calidam aquam habenti dum secta est, sanguis educitur. E vena frontis, aut nasi, capite infra inclinato effluet. E vena omoplatæ (quæ Auicenna spatularē vocat) effluet sanguis è latere, si ex altero latere iaceat æger. Sicque semper ægri corpus locandum est, vt ex parte affecta quam magis volumus

Mm 5 inanire

manire, in venam sectam facilis directusq; sanguinis cursus habeatur. Pars autē secunda tam diu fricetur donec incalescat: & si hyems est accēse prunae infra brachiū ponantur, vt eò trabatur sanguis. Exercitiū etiam, & pedū incessus, venas praesertim pedū implere, & sectioni aptas reddere est pote. Vinculum paulò supra locum secandū injiciatur: tum vt sanguis dolore trabatur, tū vt ex parte ligata in proximā vulnerandam impellatur magis. Quare cum brachij aliqua vena secanda est, paulò supra gibberum est vincienda: cum in extrema manu aut pede, paulò supra manus, aut pedis articulum. Cum vena poplitis secanda est, paulò supra genu arcta fascia est deligāda. Cum vena omoplatae, per supernā ipsius omoplatae partē, & axillas vinculū est stringendū. Cū venā aut frōtis, aut prioris, vel posterioris partis capitis, tēporum, angulorū oculi, aut eius quae inter duas nasi cartilagine suta est, aut eae quae circa guttur extantes reperiuntur, aut quae linguae subijciuntur, vel adiacent, aut quae post aures iacent, sunt aperiēdae: ceruicem fascia ampla vinciemus, digitis super guttur interpositis: ne (vt Paulus monet lib. 6. cap. 40.) suffocatu agri intereant. De venis tamen quae sunt in angulis lachrymalibus oculorum, dixit Auicenna 4. 1. cap. 20. quòd secundum plurimum non apparent, nisi per constrictionem suffocantem. Quo autem vinculo vti debeamus in sectione iugularium: docuit Auicēna quòd trabente caput ad latus contrarium: sic enim iugularis tenditur, & tumida apparet in parte gibbosa, vbi est secanda. Quo item vinculo vti debeamus in venis labilibus: dixit Auicenna quòd si vena ad vnam tantum partem est labilis, oppones ei ligaturam & strictionem eò contrario partis illius: vt scilicet ex ea parte firmetur. Si verò ad vtramq; partem labilis sit, duabus fascijs eò contrario incedētibus, brachiū vincire interdum iussimus, in medioq; iacentem venam iam vinculis firmatam tunc dere: rectēq; cessit. Est autem vinculum comprimēdum magis, in crassis corporibus, (vt venae ob carnem & pinguedinem superiacentem delitescentes, & ob insitam humiditatem laxae existentes, intumescant, tendantur, & extra appareant) quam in macris, & excarnibus, in quibus ob causas dictas contrarias, arctum vinculum venas extra vltimam membri faciem extuberantes, & suapte sponte duriores, ita comprimunt, vt sanguini vacuando expeditum transitum impediāt. Siue verò arcta, siue laxior deligatura fiat, cutem nunquam de suo loco dimoueat: ne dum cutis ad suum reddit locum, sanguinem e vena fluentem intercipiat. Verum id considerandum venit (inquit Paulus lib. 6. cap. 40.) interiori & alariae venae, per totum arteriā subijci, mediae neruum, superior (quae & humeraria dicitur) periculi expers est. Auicenna verò, basilicae non modo arteriam, sed neruum etiam & musculum substerni affirmat. Valde etiam curandum est arteriam à vena dignoscere, ne arteriam pro interna vena (quod saepe contingit) secemus: maximaq; eius rei dignotio habebitur ex pulsu, quae tamen fallere nos trifariam potest. Primo, quia in quibusdam corporibus duae arteriae internam venam committantur: cumque vnam signauerimus, alteram pro vena (nō minori errore) secamus. Secundo, quoniam arteria ligata non pulsat.

Tertio,

Tertio, quoniam ligatura, arteriā à suo loco dimouet, ita vt superponatur vena. Ob id Aëtius serm. 3. primi tetrab. cap. 10. basilicae sectionem ob arteriam, & communis ob neruum, valde reformidat: semperq; (nisi valida aliqua ex causa) has praeterit, humerariae sectione contentus, in haec verba. Et vitandum est ne hanc secemus citra magnam necessitatem, nam minoris periculi est humeralem secare. Et saepe facta in hac fisura magna, neq; inflammationes sequuntur sunt, neq; dolores. Quare hanc confidenter secare licet, internam verò cum multo metu. Vitandum etiam ne tentemus mediam. Auicenna verò omnis nos admonet deceptionis, vt nimirum consideremus, vna ne adsit arteria, an duae: vtq; vinculo detracto, rursus pulsum eius queramus, iterumq; diligenti cura adhibita vinciamus. Quoniam autem cum arteria vena superponitur, inflatur, & turget magis: ideo inflationem hanc semper suspectam habet: iubetq; tunc vinculum soluere, & inflatum locum oleo iniungere. Si enim ex vena quae flatum, aut spirituosam materiam concepit, est inflatio: solutione vinculi, & olei illitu, bis repetitis dispergetur, iterumq; religata non inflabitur. Quòd si iterum adhuc infletur, de arteria magis est suspicandum: & iam non basilica, sed pro ea ramus eius est infra sciendendus. Quauis autem nulla adsit inflatio, nunquam prorsus securi erimus de arteriotomia: quare curandum est infra articulum (quoad poterimus) secare basilicā: quòd enim infra magis, eò securius secatur, quoniam solent infra gibberum basilica atq; arteria substrata, magis disparari: siq; ex pulsu nouerimus arteriam ad dextrum disparari, secemus versus sinistrum: & si versus sinistrum incisio pergat, ad dextrum: ne arteriam vlla ratione possimus pertingere. Quòd voluit Auicenna in haec verba. In basilica quoq; phlebotomanda, quanto plus ad brachium descēderis erit sanius. Phlebotomus praeterea in venam procedere debet, ad diuersitatem partis arteriae. Et Rasius. 7. libro ad Almanforem, capite de phlebotomia, ita scribit. Quòd si ex basilica tantū minutionem facere volueris, locus ante brachij ligationē est tagēdus: et postquā pulsus cognitus fuerit, erit signandus: & deinde ligetur, & summopere obseruetur quatenus à loco signato (quanto magis fuerit possibile) percussio elongetur: & ad partem manus descendendo fiat. Nec obstat, quòd Aëtius, sermone. 3. primi tetrab. cap. 13. praecipit supra articulum, non autem infra sectionem facere. Primo, quoniam intelligendus est de sectione humerariae, quam solam nisi magna urgente necessitate, secandam fore docuerat ante dicto capite: quae (cum sibi non subiaceat arteria aut neruus) melius potest & debet secari supra articulum, ante quam ramum vllum à se deriuet. Secundo, quoniam Aëtius magis tum cōsuluit pulchritudini phlebotomiae, quam vtilitati. Supra articulum enim sectione facta, liberè & per rectum effluit à corpore sanguis, quare & speciosè: infra articulum verò venā curuatur, parumq; liberum exitum sanguini cōcedit, perinde ac flumen, vbi eius alueus contorquetur. Ob brachij etiam curuitatem, versus nos parum effluit speciosè, magnaq; ex parte sanguine inficimur. Id quod ipsius Aëtij verba commonstrant, quae ita habent. Neq; verò infernam vasis partem ad

radis

radium diuidere oportet, sed supernam ad brachij exortum: superna enim secta, speciosa sanguinis eiectio contingit. Auicenna verò secum non pugnare non potest, qui ante citata verba ita scripserat. Oportet autem ut omnes tres supra iuncturam aperiantur, & non sub ea, nec in ea: ideo ut egrediatur sanguis bene, & taliter ut saliat: & ut sit securitas à nocuentis neruorum, & arteriarum: & similiter cephalica, scilicet quauis ipsi nec neruus, nec arteria subiaceat. Quibus verbis securius ab arteriæ lesione supra, quàm infra gibberum secari basilicam adstruit: cõtra ac parum infra statuisse retulimus. Inflatio verò non modo in basilica quæ comitè habet arteriam metum incutit, ob quem soluenda & inungenda oleo est: sed in omni etiam alia vena: in qua si postquam ligaueris, in ciceris aut lentis effigiem, aliqua eius pars intumescat, similiter ac in basilica diximus agendum esse consuluit Auicenna: Quòd scilicet vinculum soluatur, tumor illinatur donec sit dispersus, & post iterum vinciat: siq; rursus intumescat, rursus omnia repetantur: ita ut vena nõ secetur donec flatus, aut spiritus, aut sanguis illic interclusus dissoluatur, & tumor eualescat. Contingit enim ex sic tumentis venæ tentata sectione, ut vena ipsa præ tumore labilis, subterfugiat scalpellum: aut iam secta, nõ ita expedite sanguinẽ eiectetur. Fit autem interdum, ut nec frictio, nec subsequens ligatura, venam manifestã exhibere sufficiat: quo casu arctissimè solent chirurgi ligare, ut vena se ostendat: & brachium ex ea arcta ligatura sepe inflammatur. Quod tamen euitabis (si res non vrget plurimum) ad primam aut secundam diem sequentem, venæ sectionem differendo: sit enim ut ex frictione & ligatura besterna sanguis attractus, hodie aut cras tumidam venam ostendat: præsertim si per interualla interim fricetur brachiũ. Si verò res vrget plurimum, considerandus est ramus à vena quam secare destina- sti deriuatus, & digito est infra premendus: si enim digito amoto, ramus tunc repente tumescit (sanguine scilicet ad ramum ex radice promptè redeunte) ramus est secundus, apud Auicennã. Ramo verò non aparète, aut sanguine ad ramũ non redeunte, pro interna, communis: & pro communi, humeraria: & vice versa secanda est, ex Galeno. 2. libro de ratione victus in morbis acutis, com. 10. Quòd si harum nulla se ostendat, arctissima tunc deligatura vti conueniet, & citò rem peragere: ne aut mēbrum intereat, continuitate influxus membrorũ principum intercepta: aut brachiũ inflammetur, plurimo sanguine attracto. Quare rectè Auicenna chirurgorum quorundam abusum reprehendit, qui brachium secandum per vnus horæ spatium vincitum continent: donec scilicet præ stupore, dolorem ab scalpello illatum non deprehendat. Tanta autem excogitari potest venarum occultatio, & phlebotomiæ urgentia, ut opus sit (quod Auicenna iubet) cutem venæ adiacentem secundum longitudinẽ diuidere donec detegatur vena: ita ut vnco apprehendi, & sanguis inde extrahi queat. Quo tamen casu, venam in vtrauis manu, aut pede, aut poplite, nos potius secamus, quàm tam operosa & molesta chirurgia vti permittamus: consilium Alexandri Tralliani, lib. 1. cap. 17. dum melancholiæ ex sanguinis copia nascenti medetur,

ceum vtile hac in parte amplectentes, vbi ita scribit. Quòd si à brachio vacuatio fieri nequit, tentandũ est eã à poplite, & tali partibus moliri: atq; hoc magis in muliebribus corporibus faciendũ est, quippe mēstruã vacationẽ prouocat. Cum autẽ venas cubiti nõ manifestas inueneris, eas quæ cõmemoratis locis subiact, incidere tũc oportet: nõ ad affectũ prædictũ sanguinis vacuatio est necessaria. Nihil igitur minus inuabis ex quacunq; parte sanguinẽ detraxeris, cum etiã omnia simul vacuẽtur, quẽadmodũ diuinus Hippocrates ait, cõfluxus vnus, cõspiratio vna, omnia cõsentiẽtia. Hæc Alexander. Non tñ statim ac vena quã incidere studes conspectum fugit, aliã est in eius locum secanda: sed vinculum soluere, & iterũ atq; iterum ligare conuenit: tum ob tractum sanguinis, tum quoniam vena quæ ex vna ligatura non apparuit, apparere potest ex altera. Oleo etiam venæ locus est inungendus, ut rarior & tumentior ex sanguine ibi impulso reddatur, utq; ex nitore quodam quẽ cuti oleum conciliat, quodammodo diuersus color ad locum venæ in cute ipsa eniteat. Duobus etiam digitis, indice scilicet & medio, locus quo vena exporrigi solet, curiosè debet contrectari: primo solo indice, qui maximus est explorator, deinceps medium paulò elatius est admonendum: sanguis namq; ex indicis cõpressionẽ dissiliens, proximam venæ partẽ quæ sub medio est, tumentiorẽ reddit: facileq; ab vtroq; digito sanguis vtrinq; subsultans, deprehendi quibit. Quo deprehenso, si pilum aut maculam videris, eam mente teneto: sin minus vngue, aut atramento signato, ne te locus fugiat sectionis. Debet autẽ chirurgus scalpellum duobus digitis apprehendere: pollice (inquam) & medio: indice verò venam rursus tangere quo certè collimet. In quod varios scalpillos, terfos, acutos, & ancipites, habeat oportet: obtusi enim venã sepe non penetrant, & dolorem semper inferunt, ad quẽ magna ex parte inflammatio postea consequitur. Ex scalpellis autem quidam habeant pilum aut capulum, ita ut vltra iustam mensuram penetrare nequeant, alij verò capulo careant, ut quo voluerimus penetrent: illorũ enim vsus vtilis est in venis exiguis, & in labilibus, in quibus capuli defectu, aut neruus, aut arteria interdum vulneratur. Sint autem vtriq; nõ angustissimi styli (quos punta de espino nostrates appellant) sed latiores qui oliuæ foliũ æmulantur. Capulo autem carètes (quibus solis nostra ætas vtitur) expertissimum, oculatissimum, & valde attentum poscunt Chirurgũ: qui tamen admodum frequens non est. Nam iuniores sunt inexperti: senioribus hebescit visus, & manus contremiscunt: plurimis verò eorũ qui in medio habentur, insana quædam loquacitas (quæ ipsorum est vix euitabile fatum) distrahit attentionẽ: pauciq; ex ipsis sunt ambidexteri, quod oporteret: dextra enim manus dextro brachio, & sinistra sinistro, est secunda. Hic ergo quẽ selegisti, prius experiatur scalpellũ, an expedite vulneret, nullãq; aut scabritiẽ habeat, aut mucronis retusionẽ subeat. Deinceps digito medio atq; pollice, medium scalpellũ apprehendat: supra enim parum firma fit apprehensio, & infra non admodum expedite vulnerabit, minimo & annulari digitis impeditus. Altera manu brachium comprehendat, eiusq; pollice venam ne labatur stabiliat: tunc autem



non plus ferri indat, quam ad penetrandum in venæ cavitatem sit satis. Sensim verò, & furtim, suaviterque blandiendo, eiusmodi sectionem peraget: ne repentino venæ durioris occursum, aut vena disiliat, neruumque, vel arteriam pro ea rumpat: aut scalpelli acies retundatur: aut tenuissimus mucro occultè frangatur. Hæc enim mala parere solet festinatio: quæ ut quidam auertant, scalpelli mucronem oleo non inutiliter inungunt, suaviusque & minori dolore secant: quanuis non adeo celeriter vulnus postea coalescat. Cæsim autem vulnerandum esse in venis manifestis, & punctim in obscurioribus, & in egris qui ad ictum flectere solent cubitum, docuit Aëtius ex Antyllo, sermone tertio primi tetrab. cap. 13. Magnitudo verò vulneris, non una semper est optima: sed interdum ampla, alias exigua, frequentius verò media, est magis eligenda. In his qui acruata euacuatione opus habent, magna fissura facienda est: itemque in quibus crassitiem sanguinis contineri coniectabimus. In quibus verò reuellere & auertere volumus lationem sanguinis, velut in reiectantibus sanguinem, aut quibus de naribus aut quadam alia parte sanguis erumpit, parua vulnuscula incutimus. Non enim indigent euacuatione (cum euacuentur ab affectione) sed retractione ac reuulsione. Oportet igitur in his permittere ut sanguis fluat multo tempore per venam. Paruis item fissuris utendum est in phreniticis aut mente motis, aut alias delirantibus, quò cita conglutinatio vulnusculi fiat: contingit enim ut deliri sepe latenter vinculum manus soluant: & siquidem contigerit magnam esse fissuram, sequitur periculum ex sanguinis eruptione. In parua verò, etiam gramus vulneris osculo insilens, sanguinis eruptionem prohibere poterit. Insuper & paruis fissuris utendum est in paruis vasis, magnis verò in maioribus. Nam si in magnis vasis paruum vulnusculum fiat, necessario grami collecti fluxum sanguinis impediunt. Cauere autem oportet in ampla fissura, ne adeo sit magna ut labia euertantur: sic enim sanguis potius effunditur quam eiaculetur, & plurimum insuper spirituum, ac virium sit amissio. In parua quoque est cauendum, ne angustia sanguinis impetum compefcat: & tenuis ac spirituosus sanguis excoletur, crasso putridoque in venis relicto. Omnium verò vitia effugit media, in latitudine quadam sita: nam hyeme, & ubi crassities humorum infestat, amplius: æstate autem, & ubi humores sunt tennes, strictius vulnus infligendum est. Sectionis etiam figura non una semper est congruens: sed diuersa pro ratione amplitudinis, & labilitatis venæ, & iterationis phlebotomiæ. Pro ratione quidem amplitudinis, nam si vena exigua est, transuersim est secanda, ut plus de se sanguinis fundat. Pro ratione vero labilitatis, nam quæ scalpellum ad utramque partem effugit, transuersam sectionem minus effugiet. Ad utramque (in partem) partem, nam interdum vena ad unam tantum partem labilis est: tuncque sufficet ligaturam à contrario conuenienter opponere ut firmetur. Si vero ad utramque partem est labilis, cum non possit firmari, per transuersum est secanda. Quod monuit Auicenna quarta primi, capite vigesimo, ubi ita scribit. Cumque vena remouendo se ad partem unam mutabitur, ponet

ei ligaturam & stricturam à contrario partis illius: & cum remouendo se ad duas partes æqualiter mutabitur, non debet eam in longitudinem phlebotomare. Pro ratione præterea iterationis phlebotomiæ ex eadem vena, in diuersam figuram secari debet: si enim repetenda non est, ea figura est idonea quæ citissime glutinatur: si verò post unum aut duos dies est iteranda, quæ difficillimè glutinatur est eligenda: si autem eadem die repetenda sit, media figura quæ mediocriter glutinatur præfertur. Siquidem vena in cubito aut alio quouis articulo secetur transuersim, facillimè glutinatur, leui scilicet brachij contractione: si in rectum difficillimè: quoniam incuruato cubito disparantur oscula fissuræ: & præter id in ea figura, minus speciosa sanguinis eiaculatio contingit, ut notat Aëtius: in obliquum verò facta, nec adeo facile coalescit, ac transuersa: nec ita difficulter, ut quæ in rectum fit. Hæc ergo ceu medium tenens præ cæteris est deligenda, tum quoniam vitia extremarum effugit, tum quoniam (ut Aëtius scribit serm. 3. primi. tetrab. cap. 15.) à vase non aberramus dum sic secamus: & sanguinis eiaculatio ex obliqua fissura, pulchrior aspectu est videntibus, dum velut obtorquetur, & obuoluitur sanguis in saltu. Quæ doctrina exactior videtur, quam Pauli, qui lib. 6. cap. 40. obliquam sectionem minus reliquis coalescere scribit, in hæc verba. Fascia igitur arctæ partem aliquam circa brachij musculos deligare oportet, & frictione manum alternante, repletam venam vsui commodam, transuersim per totam ipsius latitudinem solam diuidere. Et enim minores hæc plagæ, ægrè cicatricè admittunt: arctæ nimium, inflammationem experiuntur. Præterquam quod crassioris succi transitum impediunt. In quibus autem & secundo & tertio die, interim verò & quarto sanguinem detrahendum esse speramus, obliquius vena secari debet: quo manus inflexu debiscens, non protinus cicatrice obducatur, sic enim visum est Antyllo. Extra articulos verò (in capite scilicet, manu, pede, & alijs eiusmodi partibus) quæ in rectum fit fissura, cæteris omnibus glutinatur facilius, quoniam fibras rectas non findit: in transuersum verò difficilius reunitur. Transuersim tamen facta, magis est eligenda cum venæ sunt exiguæ, ut satis sanguinis profundant: & cum venæ sectio est iteranda, etiam si venæ ample existant. Vnde Auicenna de sectione venarum capitis agens, quarta primi, capite vigesimo, ita scribit. In venis autem quæ phlebotomantur, & sunt in parte capitis excepta guiden, melius est ut transuersè phlebotomentur. Vena ergo frontis quæ inter duo existit supercilia: & vena quæ super caput iacet, in summitate scilicet frontis: & duæ venæ temporum quæ flexuose incedunt: & duæ venæ ad occiput in posteriori parte capitis, transuersim sunt phlebotomandæ. Duæ præterea venæ quæ sunt in angulis lachrymalibus, transuersim secari debent: nã ne sic sanguis ex eis nisi paucus educetur. In quibus tamè secandis monet Auicenna ne scalpellum profundetur: aliter enim ex percussione ossis fierent fistulæ. Vena quæ est in lepore nasi, inter duas scilicet narium cartilagineas, quæ digito præse adinuicè separantur, punctim est secanda ob profunditatem: exiguum tamen san-

Quinem fundit ob sui paruitatem, & ad faciem attrahitur plurimū ob dolorem illa-  
 tum: ita ut interdum rubida deinceps maneat facies: eritq; (ut notat Auicēna) noci-  
 mentum hoc maius iuuamento sperato. Internas quoq; narium Venas dirumpimus,  
 vel mucrone scalpelli cōtudentes, vel quibusdam asperis irritantes ut Paulus ait:  
 inter quæ selectissimum est quod ex gallinæ penna ad radicem multum fissa in stellæ  
 effigiem paratur. Venas super guttur extantes sphaigitides appellatas, ob vetustam  
 lippitudinem aduersa scalpelli parte scindemus, ex Paulo lib. 6. cap. 40. idest scal-  
 pelli infra agendo & velut scarificando, ita ut sanguis erumpat: pars enim scal-  
 pelli inferna, aduersa est superne qua reliquæ venæ secantur. Venas item linguæ  
 subditas in anginis transversim incidimus evitantes constrictionem apud Paulum,  
 ne ægri difficilē iam ex morbo respirantes, suffocatu intereant per colli vincula.  
 Per has autem Venas, non modo duas quæ linguæ partem infernā perreptant (quas  
 leonicas appellant) intelligimus: sed aliam etiam quæ sub lingua in mēti cavitate ia-  
 cet: quam Auicenna in angina & duarum amigdalæ inflammatione secandam  
 esse perhibet. Eas enim quæ linguæ ipsæ subiacent, & alias quæ linguæ desuper  
 adiacent, non tã propter anginas, quã ob linguæ gravitatem ipse secat. Sunt tamen  
 omnes ut ex Paulo diximus per transversum secandæ: frustra enim timet Auicēna  
 ex transversa harum venarum sectione, sanguinis fluxum qui compepsi nequeat:  
 nam ut quotidiano experimento videmus, exiguæ sunt, & plurimum sanguinem  
 rarò profundunt. Auicennæ autē verba sunt huiusmodi. Et ex eis sunt venæ quæ  
 sunt sub lingua, & existentes super ipsam linguam, & minuuntur propter linguæ  
 gravitatem quæ est ex sanguine: quæ quidem secundum longitudinem sunt minuen-  
 dæ, quia sanguinem constringere qui fluit ex phlebotomia in latitudine facta est dif-  
 ficile. Venã etiam aliã quæ inter mentum & labium inferius iacet, transversim in  
 oris fœtore à gingivis nascente, & in alijs gingivarum morbis tundimus. Iugulares  
 quoq; Venas interdum scindunt in Elephanti principio, antequã morbus firmetur,  
 & in habitum transeat: quoniam sanguinem potenter & confestim huiusmodi se-  
 ctio diuertit à membris spiritalibus, & à facie: in angina præfocante, in pulmonia,  
 in asthmate acuto, & hanelitus cōstrictione ac difficultate, propter sanguinem cō-  
 tingētibus. Hanc autē sectionē, scalpello habēte capulum ne profundari possit fieri  
 debere diximus. Quo ad figurã verò sectionis dicendum est, quòd quavis eiusmodi  
 venæ, articulares non sint: more tamē articularium, facilem aut difficilem coalitum  
 suscipiunt ob motum colli. Nam quæ collo in alteram partem contorto fit fissura,  
 cum collū rursus in suum locū adducitur, disparatur: quæ verò in transversum cou-  
 nitur. Hac utitur Auicēna in simplici phlebotomia, illa verò in duplici, aut pluries  
 repetenda. Quod obscuris & incompositis verbis sequentibus, nobis significavit.  
 Oportet præterea ut eius phlebotomia fiat in latitudine & non in longitudine, &  
 sicut fit Saphena & Sciatica: & cum hoc toto oportet ut ipsius phlebotomia cadat  
 in longitudine. De interna, externa, & cōmuni, diximus: quòd si iteratio est post  
 diem

diem unam aut duas faciendā, secentur in longum: si eadem die in obliquum: si  
 repetenda non est transversim: quòdque obliqua cœn media ad omnia est utilis, &  
 reliquis præferenda, licet in aliquibus vincatur à singulis. Par est ratio ramorum  
 istarum, qui per radium ad manum vsque excurrunt: funis brachij scilicet, quæ  
 supremam: & alterius quæ infernam brachij partem perreptant. Venarum manus,  
 lienaris (inquam) & iecoraria, si amplæ sint idem iudicium esto (vnde Auicenna  
 ita scribit. Ascleris autē iudicium est, sicut iudiciū basilicæ) si vero tenues, trans-  
 versim incidantur, ut plus sanguinis profundant. Vena quoque quæ inter pollicem  
 & indicem excurrit, ad iecoris & lienis dolores, è directo secat Auicenna. De eius  
 verò sectionis figura ita scribit. Et sceylem quidem phlebotomia melior est ea quæ  
 fit in longitudine. Si tamen magna ex parte debiliter ex hac vena sanguis pro-  
 fluit, ut ibidem scribit: consultius actum esse putarem, si transversim scinderetur.  
 Venam aliam ad claviculam, seu furculam iacentem, secat Auicenna in morbis oris  
 Ventriculi, propter sanguinem ad ipsum defluentem: quæ ob propinquitatem, &  
 directionē, potēter ab eo retrahit. Aliã quoq; (cuius supra meminimus) in omoplata  
 tūditi, ad validissimū sanguinis è naribus fluore cōpescendū. Alias insuper scindit  
 duas in musculis ventris: unã supra hepar in hydropa ex sanguine in hepate retēto  
 orta: & aliam supra splenem. Quæ omnes quoniam exiguæ sunt, transversim secari  
 debent. Vena etiam poplitis si semel est secanda, transversim secta, coalescet citius:  
 si pluries verò, in longum secetur, ut tardius coalescat: articuli enim plicatione, labia  
 iungūtur in illa, & disparatur in hac. Securius tñ in longū, quã transversum seca-  
 tur, ne validissimus tēdo qui ad calcaneū vsq; excurrit, vulneretur. Venæ autē pe-  
 dis tã interna quã externa (saphenã & sciaticã appellant) in rectū sectæ citius coa-  
 lescent: ob idq; Auicēna dñ de Sciaticæ sectione agit ita scribit. Et melius quidē est  
 ut ante balneetur in aqua calida, & ut ipsa in longitudine phlebotometur. Dum sim-  
 plex scilicet venæ sectio faciendā est, & venæ pedis sunt amplæ, ac minime labiles.  
 Nam si iteratio faciendā sit, aut venæ tenues, & labiles fuerint, transversim eas inci-  
 dere præstat: et in medijs statibus obliquius. Quid vero sit faciendū, vena pedis quã  
 incidere destinauimus non apparente, docuit idem Auicenna: Quòd scilicet non ap-  
 parente sciatica, secemus eius ramum, qui inter digitum pedis minimum & alte-  
 rum sibi proximum iacet. Non apparente autem saphena, secandus est ramus qui  
 parte interna prope calcaneum existit: aut alter in pollice pedis, quem in comitali  
 morbo collapsis, secat Trallianus, libro primo, capite decimoquinto, autoritate The-  
 odori. In ramorum autem defectu, sciatica pro saphena, & saphena pro sciatica,  
 secari possunt. Nam parum referre scripsit Galenus, ex venis pedis vtram seces.  
 Ab vna enim ambæ nascuntur (ut scribit sexto libro Aphorismorum commenta-  
 rio tredecimo sexto) quæ in poplite trifariam diuiditur: quoniam & vna vena ad  
 hoc peruenit membrum, non sicut ad manum duæ. Satius autem esset venam popli-  
 tis in cuiusque earum defectu substituere, si mulieres ea parte detegi paterentur.

de ea enim ita scribit Auicēna. Et ex eis est vena curuaturæ poplitis quæ tantum efficit quantum & saphena in prouocatione menstruorum: & in doloribus ani & hæmorrhoidis.

Sectione facta certus fies, venam ne, an arteriam, an forte neruum vulneraueris: arteria namq̄, tenuem & lucidissimum sanguinem, impetuq̄ subsultantem, & ad magnam distantiam transmittit: & tumorem ex sanguine confestim euacuato amittit. Ex neruo verò venæ adiacente, sanguis non profluit: tam in huius autem vulnere, quam in vulnere nerui qui venæ substermitur, dolor fit validus in iectu ipso, & postea manet in parte, præsertim vbi partē extendere nitimur: pars etiā subiecta, ad quam neruus perueniebat, stupidi sensus redditur. Quomodo verò subueniendum sit, arteriæ aut neruo vulneratis, vltimo capite trademus.

Sanguinis fluxio deinceps consideranda est, sit ne expedita, an impedita: si quæ impedita sit, causa est consideranda, & emendanda. Siquidem parū secasti, vulnus debes augere. Fit autem interdum vt vulnus in carne sit magnum, in vena verò exiguum: quo casu sanguinem non per totum vulnus profluentem videbis, sed per partem tantum, quæ vulnere venæ è directo respondet. Si ob metum conceptum sanguis non profluat, ægri animus est sedandus, & diuertendus: eiusq̄ visus aliò conuertatur, & mali granati grana eius ori indantur. Si vulnus aliquo sanguinis grumo obstruatur: digito detergatur, oleoq̄ illinatur vulnus. Si ob carunculam verò, aut adipem per vulnus egredientem sistatur sanguis, blandè est interius reducenda: siq̄ reduci nequeat, non incidatur, ne in cavitæte fiat aneurysma: sed alia parte secetur vena, fiatq̄ vulnus minus amplum tersissimo aliquo scalpello. Solet enim per venam sectam egredi adeps, aut ob vulneris amplitudinem, aut ob scabritiem scalpelli, adipem trahentem ad se.

Si sanguinis effluxio quæ expedita erat flaccescit, impetusque valde minuitur, signum est naturā in eiaculando atq̄ expellendo deficere: soletq̄ is sanguis tenuior, rubidior, atque incolumior esse, quam qui primo pellebatur: quare protinus tunc est sistendus, nisi vbi syncopin quærimus, quod capite docuimus vigesimo quinto. Omnis namque sanguinis mutatio, siue à malo in bonum, siue à bono in malum, satis sanguinis detractum esse indicat. Siquidem bonus sanguis sequatur malum, significat aut malum prorsus esse vacuatum, aut naturam in expellendo deficere. Si verò malus post bonum incipiat vacuari, significat causam inflammationis vacuatam esse: & coniunctam partim vacuari, partim ad venas extra partem inflamatam esse translata. Color etiam, & pulchritudo faciei si pallidior reddatur: oscitationes, pandiculationes, singultus, & nausea, satis sanguinis detractum esse monstrant, & instantem syncopin indicant, nisi sanguis supprimatur. Sanguine enim & spiritibus ad cor reuocatis, innatū calidū deficit in extremis, sequiturq̄ in facie pallor: in musculis halitus, et fumi (qui cū nō dissipentur ab exiguo calido) vbi pelluntur à musculis maxillæ fit oscitatio: & à musculis totius corporis, pandiculatio. Singultus verò & nausea

nausea, ob commotionem quæ in ventriculo fit, gignitur: aut ab humore illic ebulliente, aut ob subitū tractum venarum à ventriculo. Paulatinus enim naturalis est, & famē mouet: subitus verò morbosus fit, ventriculum commouet, innato calido priuat, singultu e, & vomere facit. His omnibus firmitatem addit pulsus: cuius mutatio sola de magno in parū, de alto in humilem, de æquali in inæquatē, aut de ordinato in inordinatum, aut (quod plus est) de vehementi in imbecillum: firmum est indicium, quod præterire non licet. Nam reliqua omnia, alijs ex causis ante iustam vacuationem interdum succedere assolent.

Si syncopis verò superueniat, aut quoniam ægrum in eam deducere destinaſti, aut quoniam plus quam oporteret sanguinis detraxisti: vomitus statim cum penna cygni, anatis, aut gallinæ, aut cum digitis est prouocandus. Omni enim syncopi competit vomitus (apud Auicennā, vndecima tertij, tractatu secundo, capite octauo) nisi ex sudore, vel motu spirituum ad exteriora proueniat. Moschum etiam, vini, aut aquam aliquam odoratam, naribus impone & cordi: faciem affatim irrorat: extrema frica: manum calidam eius ventriculo admoue: & diamoschum, aut diambram, ori inde. Valet etiam hoc quo vtor. R. trochiscorum de gallia moschata, scrup. β. confectiois manus christi, drach. β. fiat puluis qui propinetur in cochleari cum pauco vino odoro. In sculis deinde quæ consummata vocant reficiatur.

Si ergo aut tantum sanguinis quantum educere destinaſti effluxit, aut aliquod eorum quæ satis sanguinis detractum esse commonstrant superuenit: vinculum est soluendum, & sanguis exprimendus, ne in vulnere putrescat, & eius agglutinationem impediatur. Tunc autem chirurgus sinistra manu cutem ita tendat, vt eius vulnus à reclinatone vulneris qui in vena est remoueatur: linteique parte madente brachium sanguine infectum lauetur: sic enim sana parte cutis, vulnus venæ obtegente, aqua venam ipsam vulneratam non pertinget. Postquam verò altera linteique parte, chirurgus lotum brachium exsiccauerit, cutim ad suum redire locum permittat: subitoq̄ linteo, aut plumaceolo, in medio nonnihil extuberanti, ex aqua rosacea, aut oui albumine vulnus occludat, & arctā fascia vinciat: nisi cū iteratione est opus, tunc enim nec plumaceolum extuberare, nec aqua aut albumine madere, nec arctā sed laxa potius fascia comprimere oportet, ne vulnus ante iterationem glutinetur. Fit enim sepe ex multiplici eiusdem venæ sectionis iteratione inflammatio, non modo in basilica, & communi, quibus arteria & neruus subiacent: sed in cephalica quæ securius secari solet. Quod voluit Auicenna per verba sequentia. Plurimum autem erroris qui euenit in minuendo cephalicam, non prouenit ex percussione vna, licet sit magna: immo non accidit nocumentum, nisi propter iterationem percussionum.

Si verò venæ vulnus ante iterationem prorsus agglutinatum sit, nec infra vulnus, nec in ipso vulnere, sed supra ipsum secari vena debet: vt sanguis antequam glutinatum vlcus pertingat (ne ad ipsum impetum faciat, eumq̄ disrūpat) vacuetur: vt



docuit Rasius. 7. libro ad Almansorem, & Auicēna loco citato, in hac verba. Veniantamen si percussione iterare necessarium fuerit, à prima percussione se remoueat, & non ab ea descendat. Iteratione autem pluries repetita, magis est opus cum reuulsione: citius verò factæ, cum euacuationis gratia sanguis est detrahendus: ut Galenus scribit libro de curandi ratione per sanguinis missionem, cap. 21. in hac verba. Iteratæ tamen detractionis tempus, in quibus simpliciter quidem vacuare conamur, eodem die esto. At in quibus reuellere, si vel duobus deinceps diebus fiat, melius fuerit. Quibus verbis, iteratas vacuationes eodem die, ob necessitatem vacuandi facere præcipit: reuulsiones verò, tardius & in plures dies partitas facit. Nam eodem libro capite duodecimo dixerat: Quòd quantò maiorem in numerum, particularēs auxeris reuulsiones, tantò efficaciores ipsas effeceris. Natura enim multotiens irritata, maiori cum impetu in contrarium deponit onus: & sic agere assuescit. Iteratione etiam est opus, cum vires non constant, ut simul conferuntur detrahatur: aut cum morbus eius naturæ nõ est, ut celerrimam vacuationem poscat. In sani enim consilij foret (etiam si vires permitterent) in morbo parum vrgēte, vniuersam plenitudinem semel vacuare. Ob id in sanguinis missione (inquit Galenus libro de curandi ratione per sanguinis missionem, cap. 12.) summum id bonum est, euacuationem vbi voles posse sistere: ac rursus quo videatur tempore, fluere sinere, quoad vsque rectè habere appareat. Quapropter præstat nisi quid vrgēat, priori missione detrahere, iterumque eam repetere, immo si lubet, & tertio. Vbi ergo multa euacuatione est opus, verum vires sunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit: uti nimirum & me fecisse vidistis, in ijs quibus crudorum inerat humorum copia. Nam pauculo sanguine detracto, protinus mellicratum exhibeo probe coctum cum incidentium medicaminum quopiam (velut hyssopo, origano, & interim etiam nepita, aut pulegio, aut certè cum mellicrato oxymel, aut oxyglycy) ac sic rursus sanguinem minuo, vel ipso eodem nonnunquam die, interdum die postero: in quo rursus exhibitio propositorum medicamentorum quòdpiam, iterum de sanguine quid aufero: ac rursus tertio die similiter bis. Quibus etiam verbis, nullum iterationi destinatum esse tempus, sed quibusdam eadem die, alijs secunda, & tertia: nonnunquam etiam & quarta, post primam venæ sectionem esse exercendam constat. Vbi enim morbus vacuatione sanandus, non vrgēat: aut fluxio auertenda, non est momentanea: aut vbi de virium constantia non sumus valde certi, tardius: in contrarijs verò statibus citius, sectionem iterare oportet: ita ut in his, interdum eadem die bis, ter, quater, & pluries, sanguinem detrahamus: in illis verò, tribus & quatuor diebus protrahamus iterationem. De quibus solum intelligatur Auicēna, cum quarta primi, cap. 20. ita scribit. Et melior quidem secundationis terminus est, ut duobus, aut tribus tardetur diebus. In ea verò quæ eodem die semel aut bis repetenda est, eiusdem Auicēnæ consilium seruamus: ne inter phlebotomiam, & secundationem dormiant egrotantes: tum ne per somnum vulnus glutinetur, tum

tum ne superflui humores intro magis agantur ad centrum corporis: sed extra per venas capti euocari ex prima sectione, vacuetur secunda. An vero expediat iteratam sectionem, copiosiore prima, an parciosem facere: dubium est. Nam Auicēna syncopam timet ex iteratione copiosa, in hac verba. Multa præterea in secundatione euacuatione syncopin affert, nisi fuerit postquam assaturæ aquam sumpserit. Contra verò Galenus lib. 4. de Sanitate tuenda dum phlegmonosæ lassitudini medetur, ita scribit. primū. Verò fuerit, bis eodem die si fieri potest detrahere: ac primū quidem ita mittere expedit, ut animi defectum homo non adeat. Secundo vero ne defectus quidem ipse est formidandus. Quippe qui priore detractione resolutus est, secundam sustinere haud poterit: in hac verò si quid tale homini incidit, facile reuocabitur. Quibus verbis, secundam sectionem prima copiosiore, Galenus præcipit. Cui dicendum quòd vbi vniuersi humores detrahendi, continentur in magnis vasis corporis, vniuersa sanguinis detractione (si vires ferunt) vniuersa plenitudo demenda est, aut eius tanta pars, quantam vires ferre possunt: Quod reliquum vero est postquam vires resumptæ fuerint, iteratione facta est vacuandum. Quare parcius in hac, copiosius verò in illa detrahere conuenit: quoniam in prima sectione virtus integra, copiosiore vacuatione quam in secunda (quando iam ex priori vacuatione fracta est) tolerat. Si vero extra vasa vniuersus iam humor continetur, venam secare non licet: iuxta Galeni doctrinam lib. 6. Epid. par. 2. com. 29. In medijs statibus, pro ratione extremorum agere conuenit: siquidem plurimum est quod in vasis continetur, minor autem quantitas extra vasa (quod ferè in partium inflammationibus contingit) prima sanguinis detractione copiosior, ut vasorum demat plenitudinem fieri debet: donec scilicet sanguinis color in nigrius commutari, aut fluxionis robur labascere, aut pulsus variari occipiant, libro de Curandi ratione per sanguinis missionem cap. 11. auctore Galeno. Secunda autem sanguinis detractione, parcior fiat: ut coniuncta inflammationis causa, quæ ad venas maiores ex minimis, & ex cavitatibus carnis translata iam est, vacuetur. Quod Galenū in ophthalmico curando seruasse legimus, lib. de Curandi ratione per sanguinis missionem cap. 17. in hac verba. Venit autem circiter horam quintam, ac prima protinus detractione, tres sanguinis libras exhausi: deinde hora nona aliā. Hæc Galenus. Si autem plurimum sit quod extra venas effusum est (quod in totius corporis lassitudine phlegmonosa contingit) prima detractione parcior fieri debet: quoniam intra vasa non continetur iam, ingens aliqua vacuandi humoris quantitas: secunda vero copiosior fiat, per eam enim residuum plenitudinis renarum: & quod ad carnes etiam confluxerat, ad venasque, ex prima sanguinis detractione vocatum, iam corruptissimum remigravit: vacuari debet. Eius autem vacuationem (ceu humoris iam corruptissimi) adeo necessariam esse existimat Galenus, ut ad syncopin in eius detractione egros deducere non formidet: facile enim ex ea reuocabitur æger, qui ex prima phlebotomia parciori non fuit fractus, admodumque reditus imbecillis. Quod ipsa clarius monstrat Galeni verba, quæ (paucis interpositis)

## Liber

ad hunc modum scripta reperiuntur. Ceterum & quæ ex natura rei ducitur, rationem apposuisse non sit alienum. Quoniam igitur in hac quæ veluti phlegmone fatigat lassitudine, vis calidi sanguinis congesta in corporis mole est, venæ autem sectio succos è vasis emittit, vtile est post priorem detractionem tantisper intermittere, dum aliquid eorum qui in corpore sunt humores remigret ad venas. Quod tamen quoniam committendum non est vt in his maneat, vt pote ex dimidio corruptum, sed potius plurimum eius expellatur: idcirco detractionem sanguinis etiam secundo die iteramus, aliquando verò & in tertio, vbi videlicet & reuellere, & ex alijs in alia transferre, visum est conducere.

Post missum sanguinem supinus decumbat æger, vt spiritus animales citius resarciantur: minus enim laboriosa est eiusmodi corporis figura, eo quòd dorsum instar carinæ nauis (vt scribit Galenus primo libro de Anatomicis administrationibus) magnitudine grauat, & planicie sua faciliorem facit accubitus. A somno abstineat duabus horis: ne humores commoti intro agantur ad viscera. In somno autem cauendum, ne supra vulnus cubet: ne sanguis fortè nolentibus nobis erumpat. Non dormiat ante cibum: nam ad venæ sectionem requisuimus, ventriculi, intestinorum, & meseraicarum vacuitatem, quæ vena secta augetur: super vacuitatem autem dormire, malum est, & virtutem deiciens, vt scribit Auicenna, tertia primi, doctrina secunda, capite nono. Cibum autem post duas horas à misso sanguine, exhibuit Galenus (libro nono Methodi) iuueni cui per continentem febrem fuerat missus sanguis, in hæc verba. Post duas nanque à sanguinis missione horas, paulo nutrimenti dato, ac iusso quiescere, discessi. Quibus etiam verbis, exiguum cibum phlebotomatis exhibendum esse perhibet. Primo, quoniam vis per euacuationem reddita imbecillis, minus cibi conficere potest. Secundo, quoniam exiguum cibum, ob auiditatem retinet ventriculus, ne crudus rapiatur ad venas inantitas: multum verò continere non posset, quin eò raperetur. Quod doctissimè aduertens Galenus, quarto libro de sanitate tuenda, prope finem, ita scribit. Cauendum verò præter cætera est, ne properè & multum, non sensim & paulatim renutrias. Quippe qui post huiusmodi exinanitionem, ad pristinam dietam protinus redeunt, vis corporis habitus crudis succis impletur: quos nimirum antequam concocti commodè in ventre, venisque sunt, corporis moles ad se rapit. Vnde Auicenna quarta primi, capite vigesimo, ita scribit. Et oportet ne phlebotomatus in se replendo sit audax: sed secundum ordinem nutriatur, & cibum primitus subtiliet. Per quæ verba Auicenna, non modo minoris quantitatis cibi atque potus, sed tenuitatis etiam maioris, rationem habendam esse docet. Caloris verò ac frigiditatis, humiditatis & siccitatis, sicut & aliarum qualitarum exhibendarum ratio: ex dispositione phlebotomati pendet. Si enim sanus est, & solius præcautionis gratia ipsi vena secatur, sex rubentis & splendidi vini uncias, ipsi propinat Auicenna quarta primi, capite vigesimo, in hæc verba. Omnis quoque sanus qui phlebotomatur, illud quod in capitulo.